



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Orationibus lacvlatoriis Libri IV. Ascetici, Seu ad exercitationem spectantes

Balinghem, Antoine de

Antverpiae, 1618

Liber III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51085)

DE ORATIONIBVS
IACVLATORIIS
LIBER III.

Absolutis iis que naturam,
principia, communemque
harum orationum notio-
nem, ceteraque huius ge-
neris attingunt; sequitur ut de ea-
rumdem qualitatibus, circumstan-
tiisque differamus. Ac primùm qui-
dem occurrit temporis circumstantia,
queriturque quàm frequentes esse de-
beant.

CAPVT I.

*Orandum semper ex Christi Domini
præscepto & Sanctorum, & quo-
modo id accipiendum.*

SI Christi Domini præceptioni obsequen-
tes esse volumus, non frequenter modò,
verùm

Lucæ
18. 1.
Ecclef.
18. 22.
1 Theff.
3. 17.

verum etiam semper nobis est orandum: *Oportet* (inquit) *semper orare, & non deficere.* In eandem sententiam sapiens: *Non impediaris orare semper:* Et S. Paulus. *Sine intermissione orate.*

Quibus consentiunt etiam superioris memoria Patres. Clemens quidem Alexandrinus. Et ambulando, inquit, & quietendo, & in omni opere rationabili orandum. B. verò Nilus. Qui amat Deum semper cum hoc tamquam cum patre consuetudinem, & sermonem habet, repudians omnem notitiam turbidam.

e. 51 de
oration.

Lib. 1.
de orā-
do Dei.

Atque eodem spectat illud Chrysostomi, per omne, inquit, tempus precationibus, ac Dei cultui studioque pietatis dediti vivamus, hanc vitam, hanc sanitatem, hanc opulentiam, hanc bonorum omnium summam existimantes, vota nostra offerre Deo, sincero, puroque corde: etenim quemadmodum sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio: proinde si cæco damnosum est non intueri solē, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christiani lucem orando in animum suum inducat.]

Serm.
de ora-
tione.

S. Ephrem explicans illud Apostoli, *Sine intermissione orate.* Nocturno (inquit) & diu & quacumque hora, neque solum postquam Ecclesiam es ingressus, alijs autem horis absque cura sis, verum siue opereris siue dormias, siue iter facias, siue comedas, siue bibas, siue decumbas, caue orationem tuam inter-

intermiseris : nescis enim quando veniet, qui animam tuam est repetiturus, ne expectes diem dominicum aut festum, lociue differentiam.] S. porro Basilius aded continentem vult esse pio viro orandi exercitacionem, vt per quietem etiam oret. Noli itaque, inquit, propter stuporem, qui fit in somno, mediam vitæ partem inutilem facere, sed tempus noctis diuide, cuius partem tribue somno, partem precationi, in diem & ipse somnus pietatem meditetur.] Quod ipsum S. Hieronymus indicat: Sanctis (inquit) etiam ipse somnus est oratio.] Beatum sanè illum cuius ita Deo mens adhærescit, vt nulla eius vitæ pars oratione vacare possit.

Oratione 2. de precatione.

Ad Eustoch.

Huius autem Dominicæ præceptionis de continente precatione sensum, non ita facile est assequi: quod patet ex multiplici eius interpretatione, quâ quidem prætermisâ eam suggeram explicandi rationem, quæ plus habet probabilitatis. Quemadmodum igitur receptâ scripturæ phrasi id impossibile dicitur aut omnino numquam fieri, quod vel difficillimum est aut fit rarissimè. Sic illud asserit sacra scriptura fieri oportere semper, quod faciendum frequenter. Ita, semper orandum præscribitur, quoniam id congruo tempore faciendum, quotiesque nobis per valetudinem, otium, aliâve vitæ necessarias actiones est integrum:

S. Tho. in Paul. Bonau. in Lucâ.

licuti

sicuti cōmuni sermone tritum est, vt semper id quempia facere dicamus, in quod magno animi studio incumbit, vt quoad eius fieri potest, nullā illius prætermittat occasionem. Quis enim si in viri cuiuspiam litteris dediti incidat mentionem, non eum verè asserat optimis artibus studere semper? De equitandi studioso, equitare semper? de ludi amante, ludere semper? tum quòd ea ipsa ceteris antepōnant, tum quòd ijs sese, quoties id quidem licet, lubenter applicent, & exercent. Atque hæc grauissimi auctores.

CAPVT II.

Christi Domini seu præcepto, seu consilio hisce orationibus iaculatoriis fieri satis.

CVM nostra intersit plurimum oratione mētem exercere atque recreare, Christi que de ea præceptis obsequi, non alia sanè mihi quidem occurrit ratio id perficendi, quàm hisce frequentibus, ijsque breuibus ad Deum aspirationibus: quod quidem sic explico. Ea est humanæ naturæ conditio, vt mētis actionibus diu insistere nequeat, neque diuinarum rerum contemplationi, cōmentationique continenter operam dare: cuius ea ferè est ratio, quòd mentis operationes in
hac

hac quidem vita, absque corporis corporea-
rumque facultatum & instrumentorum ad-
miniculo non perficiantur: quæ quidē, vsus
assiduitate fatigantur, flaccescunt, sensimq;
consumuntur. Et quamquam (vt scitē Caietanus) in hisce actionibus quiescat corpus,
In 2. 2.
q. 18. ar. 8.
neque loco moueatur, quod cōtra fit in me-
chanicis, nihilominus fatigatur vehemēter,
tum continenter mentis attētionē, cui ipsum
etiam adminiculatur, tum multa vitalium
spirituum consumptione.

His accedit ipsius corporis grauitas, cuius
pondere prægrauata mens, dum sursum ni-
titur, statim ad infima impetu quodam dei-
citur: corpus enim quod corrumpitur ag-
grauat animam (vt rectē monet Sapiens) &
Sap. 9.
15.
deprimit terrena cogitatio sensum multa co-
gitantem. Quod præclarē Gregorius quo-
dam loco, vbi simul explanat quemadmodū
Lib. 10.
moral.
c. 19.
inter se dissideant actiua vita & contempla-
tiua, quod etiam in rem præsentem facit: in
actiua, inquit, sine defectu mens figitur, à cō-
templatiua autem, infirmitatis suæ pondere
victa lassatur: illa quippe tantò firmitus du-
rat, quantò ad vicina se erga vtilitatem pro-
ximi dilatat. Hæc tanto celerius labitur, quā-
tò & carnis claustra transgrediens super se-
metipsam ire conatur. Illa per plana se diri-
git, & idcirco pedem operis robustius figit.
Hæc autem quò super se alta appetit, ad se
cò

cap. 1.

eò citiùs fessa descendit. Quod bene ac breuiter Ezechiel insinuat, cum eorum quæ uiderat motus animalium narrat, dicens: & animalia ibant & reuertebantur: quia electorum mentes per hoc, quòd diu persistere minimè in contemplatione sufficiunt, sese iterum ad operationem fundunt, ut in his quæ sibi iuxta sunt, se exercendo refoucant, & super se rursus surgere contemplando conualescant.] Probat deinceps hac uicissitudine actionis & contemplationis non detrahi oranti stabilitatem, & constantiam optimèque illi aptari illud Iob in cuius explanatione tum versabatur: *Et eris stabilis & non timebis.* Quod neque à proposito abhorret. Sed dum, (inquit) hæc eadem contemplatio more debito per temporum interualla repetitur (quod hisce nostris orationibus iaculatorijs haberi satis per se patet) indeficienter procul dubio & in eius soliditate persistitur: quia etsi infirmitatis suæ pondere superata mens deficit: hanc tamen iterum continuis conatibus reparata comprehendit. Nec stabilitatem suam in ea perdidisse dicenda est, à qua etsi semper deficit, hanc & cum perdidit semper inquit.]

cap. 2.

Maneat itaque summo esse opus mentis nisi, conatuque ad diutiùs orando perseuerandum, animumque ab externis rebus auocandum: quem quidem conatum, in paucis-
simis

simis reperire licet, quandoquidem mortales, sui plus æquo amantes quæcumque naturæ violentiâ perficiuntur, ea acerbè ode- rint. Atque eam ob causam suadent Sancti Patres, vt orandi aliqua fiat intermissio. Vnus instar omnium sit idem Gregorius. Quia diu mens, inquit, stare in contempla- tione non valet, sed omne quod de æternitate per speculum & in ænigmate conspicit, quasi furtim hoc, & per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis animus repulsus, in seipso relabitur: Et necesse est, vt ad actiuam redeat, seque ipsum continuè in vsu bonæ operationis exerceat, vt cum mens surgere ad contempla- tione cælestia non valet, quæque potest bona agere non recuset.] Hæc Gregorius. quibus subdit, virtutum actionibus sese aptiorem ad orandum referre mentem, quod etiam de iaculatoriis accipe: sicque fit (eius sunt verba) vt ipsis suis bonis actibus ad superiora rursus in cõtemplationem surgat & amoris pastum de pabulo contemplatæ veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suauitatis Dei memoriâ pascitur, & foris piis actibus, intus verò sanctis desiderijs nutritur.]

Hom. 5.
in E-
zech.

Cum igitur non possit mens longiores orando trahere moras, tum ob corporis, ca-
pitif.

R

pitif.

pitifque imbecillitatem, tum ob irruentia
 continenter phantasmata, quæ attentionem
 distrahunt aliò, animumque in mille partes
 diuidunt, atque nihilominus ex Christi præ-
 ceptione crebrò immò semper orationi infi-
 stendum; conficitur sanè non aliam super-
 esse rationem, eius rei perficiendæ quàm ad-
 hibitis frequentibus ad Deum aspirationi-
 bus: qui enim creberrimus est in orando, li-
 cet perbreuis, hic sanè communi hominum
 more probè dicitur semper orare: quemad-
 modum etiam qui quauis horâ, atque adeò
 frequentius esitaret, verè diceretur semper
 edere; non item is qui iterum atque iterum
 in singulos dies multum cibi sumeret. Ita ne-
 que is semper orare dicendus est, qui vnâ aut
 alterâ oratione licet productiore contentus,
 reliquum diem totum, ita humanis externis-
 que dat negotijs, vt ea frequentibus iacula-
 torijs non interrumpat, ac quasi condiat ani-
 metque.

Concludam istud caput hoc monito. Cu-
 randum in primis Ascetæ ne ab orationibus
 iaculatorijs illico mentem cogitationemque
 ita referat ad humana, vt iis sese penitus im-
 mergat: sed perpetuò quasi alterum animæ
 oculum in cælestia teneat defixum, vt hoc
 faciliùs rursus quando opus erit, & licebit,
 considerationem erigat ad Deum: sed præ-
 stat audire S. Gregorium idipsum grauissi-
 mis

mis hisce verbis præscribentem: Electa, in ^{In c. 1.}
quit, anima cum infirmitate grauante à Dei ^{1. Reg.}
contemplatione repellitur, vt redire in ean-
dem visionis altitudinem valeat, debet ha-
bere constructa ædificia munitionis quate-
nus ad semetipsam relapsa in alto se teneat,
vnde iterum ad eandem intimæ claritatis al-
titudinem cõsurgat. Quod & sub typo Hie-
rusalem electæ animæ per Prophetam dici-
tur. Sta in excelso, & vide iucunditatem quæ
veniet tibi à Deo tuo. quasi dicat. Etsi mane-
re iugiter in Dei contemplatione non pores, ^{Baruch.}
ne vique ad ima deponaris, vt ab altis cu- ^{4. 36.}
stodiæ tuæ turribus, ad eam contemplan-
dum sine difficultate conscendere, quem de-
sideras, possis.

Deinde reditum illam Elcanæ cum Anna
coniuge in ciuitatem suam Ramatha morali
sensu ita explicat. In Ramatha quidem ciui-
tatem suam reuertitur anima, si cùm à diui-
na maiestatis visione repellitur in sanctorum
Angelorum contemplatione retinetur. Sed
cum de ista subtiliori natura id est Angelica
cogitare non præualet, si ad beatos martyres
vel electos alios, qui iam æternitate recepti
sunt, meditando recurrit (quia de perfecta
eorum gloria cogitat) nimirum tunc in sua
ciuitate recipitur, qui morari in sublimibus
prohibetur.] Hactenus Gregorius. Quæ e-
dem præceptiones vsui esse possunt longio-

ribus etiam orationibus, quas dū quispiam vel ob importunē se ingerētia phantasmata, aut corporeæ molis onus mentē deprimens nō valet producere, neque diutiūs in Deum, diuināq; eius perfectiones figere obtutum, seruiat tempori, seseq; ad faciliora transferat, ad Angelos adeat, eos appellet vt sibi sint præsidio, & quod de sanctis martyribus præscripsit magnus Gregorius idem factitet in cæteris sanctorum ordinibus & choris. Ita non exiguo fructu absque tædio, atque adeo summā facilitate tibi effluet transigeturque tempus orationi præstitutum.

CAPVT III.

Cur necesse est frequenter in hisce ad Deum aspirationibus ex Ambrosio Augustino & Cypriano.

CVM dictū sit diuino præcepto frequentandā orationē, idq; præstari maximè orationibus eiaculatoriis, earum deinceps necessitas & quidē ex sanctorū Patrū sensu explicāda, eaq; menti subijciēda, quæ nos merito ad eas crebrò vsurpādas mouere possint ac debeant. Qua de re ita quidē Ambrosius. Sicut nullum est momentū, quo homo nō vtatur vel fruatur, Dei bonitate & misericordiā, sic nullum debet esse momentum quo cum præsentē non habeat in memoria.]Me-
mini

Lib. de
dignita-
te con-
dit. hu-
mana
c. 2.

mini superiùs dictū non modò in momenta
singula vno quopiam Dei beneficio frui ho-
minem verùm immensa, quouis etiam tem-
poris puncto extare in illum diuini amoris
argumenta, quàm ergo ingratus sit aduersus
tam beneficum patrem, si eius vel momen-
to tantum, memoriam posuerit?

S. autē August. in illud psalmi Firmabo su- ^{31. v. 8.}
per te oculos meos, hæc habet, Nō abs te au-
ferā oculos meos, quia & tu nō auferes à me
oculos tuos. Iam iustificatus, iam post remis-
sionē peccatorū leua oculos tuos ad Deū, pu-
truerat enim cor tuū cū esset in terra. Cū
hæcaudis sursum erige cor ne putreat. Ergo
& tu leua iam oculos tuos semper in Deum,
vt firmet super te oculos suos.]O quàm præ-
clarè cum illo agitur, quem continenter in-
tuetur Deus, quem docet & instruit, cui pro-
spicit, cuius rebus consulit, quem gratiā suā
protegit, cuiusq; curā nec suscipit, nec depo-
nit vniquā: hæc enim vniuersa ac lōgè plura
cōplectitur illud: *Firmabo super te oculos meos.*
Cauedo, inquit, vt ne quid tibi desit, cōmo-
dis tuis vtilitatibusq; diligenter prospiciam,
omne aduersum procul amoliar, ob eamque
rem *firmabo super te oculos meos*, numquam eos
à te auertam, ne quid tibi mali surrepat. Hæc
autem tot & tanta consequitur teste Augu-
stino is qui vicissim orationis assiduitate in
Deum oculos semper habet intentos.

R 3 Idem

In psal.
65. v.
vlt.

Idem alio quoque loco enarrans illud: *Benedictus Deus meus qui non amouit deprecationem meam & misericordiam suam à me*, aliam suggerit necessitatis orandi rationem, neque obscure indicat diuina beneficia, Deiq; in nos clementiam ab orationis usu quasi depedere. Quamdiu, inquit, hinc sumus, hoc rogemus Deum, ut non à nobis amoueat deprecationem nostram & misericordiam suam, id est, ut perseueranter oremus, & perseueranter misereatur. Multi enim languescunt in orando, & in nouitate suae conuersionis feruentes orant, postea languide, postea frigidè, postea negligenter, quasi securi sint: *vigilat hostis, dormis tu?* Atque post pauca ita concludit. *Cum videris non à te amota deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia eius.* Et sanè vel ipsa verborum Prophetæ series ostendit satis orationem nostram diuinamq; beneficentiam ita inter se colligata, ut illam hæc sequatur, cum illa priore loco nominetur tamquam posterioris quasi fundamentum, aut saltem illecebra: allicitur etenim Deus ad miserendum & benefaciendum, cum ad id se videt frequentibus feruidisque vrgeri precibus. Itaque quanti nostra interest diuinæ largitatis beneficiorumque fontem nobis perpetuo manare, tanti etiam est nos ab orandi studio numquam desistere.

Afferam & tertium testimoniū ex eodem
Augu-

Augustino, quo luculenter nouis etiam alla-^{Epist.}
 tis rationibus ostendit, quàm sit necessaria ^{121. de}
 frequens precatio. In ipsa, inquit, fide, spe & ^{orando}
 charitate continuato desiderio semper ora-
 mus, sed idem (æternam beatitudinem scili-
 cet de qua hîc agit) per certa interualla hora-
 rum & temporum, etiam verbis rogamus
 Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admo-
 neamus, quantumque in hoc desiderio pro-
 fecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad
 hoc agendum nobis ipsos acrius excitemus,
 dignior enim sequetur effectus quem feruē-
 tior præcedit affectus. Ideoque ab aliis curis
 & negotijs quibus ipsum superiorum deside-
 rium quodammodo tepescit, certis horis, ad
 negotium orandi mentem reuocamus ver-
 bis orationis nos ipsos admonentes, in id
 quod desideramus intendere, ne quod tepe-
 scere cœperat, omnino frigescat & penitus
 extinguatur nisi crebrius inflammetur.]

Post pauca, ostensâ iterum orandi neces-
 sitate, laudat frequentes breuesque oratio-
 nes: subiicitque Patrum eremi factum, qui-
 bus solemne erat creberrimis, iisque breuis-
 simis precatiunculis Deum appellare. Di-
 cuntur, inquit, fratres in eremo crebras qui-
 dem habere orationes, sed tamen breuissi-
 mas & raptim quodammodo iaculatas, ne
 illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum
 necessaria est per productiores moras eua-

nescat, atq; hebetetur intētio.] Quibus quidē verbis nō ita laudat breuiores orationes, quin suū etiā det & locum & laudē longioribus. Verū infirmioribus cōsultat, vt quia alienarum cogitationū cateruatim irruentiū multitudine, importunitateque prapediti, diutiùs nequeunt animū aduertere, attentionemq; (quam intētionem vocat) producere, imitatione sanctorū Ægypti breuioribus assuescāt precatiunculis. Qui quidē ait idē Augustinus (quod in laudem longiorum orationū dictū sit) per hoc satis ostendunt hanc intētionem sicut nō est obtundenda si perdurare nō potest, ita si perdurarit non citò esse rumpendam.] Hęc Augustinus B. autem Cyprianus illo antiquior, multis tum diurnam tum nocturnam, id est, frequentem cōmendat orationem eiusq; proponit necessitatem. Cū in scripturis, (inquit) sanctis sol verus, & dies verus est Christus, hora nulla à Christianis excipitur, quo minus frequenter ac semper Deus debeat adorari, vt qui in Christo hoc est in sole & in die vero sumus, insistamus per totū diem precibus & oremus, & quādo mundi lege decurrēs vicibus alterius nox reuoluta succedit, nullū de nocturnis tenebris orantibus esse damnū potest. qua filiis lucis, & in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est, aut quando sol ei & dies non est, cui sol & dies Christus

Tracta-
tude o-
ratione
Domi-
nica.

stus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessamus, ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur à tenebris quas euasimus, nulla sint horis nocturnis precū damna, nulla sint horis nocturnis spūalia dispendia. per Dei indulgentiam recreati spiritualiter, & renati, imitemur quod futuri sumus, habituri in regno siue interuentu noctis solū diem, sic nocte quasi in lumine vigilemus, oraturi semper & acturi gratias Deo, hic quoque orare & gratias agere nō desinamus.] Hæc Cyprianus. Quibus varias easq; efficaces affert causas, cur sit homini Christiano frequentius orandum, quas quidem pio lectori euoluendas relinquo.

CAPVT IV.

*Quid sancti Leo, Gregorius, Bernardus,
Bonauentura & Laurentius Iustinianus
de ea ipsa re sentiant.*

ORATIONIS necessitatem ad hoc refert D. Leo, ut eius exercitio possit quis caelesti sapientiæ operam dare, eaque se oblectare, mentemque diuinis reficere consolationibus, sed aurea eius verba in medium afferamus. Quamuis, inquit, sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat

Serm 8,
de ieiunio de-
cimi
mensis.

R s sen-

sensus vnde sumit & motus, eiusdem tamen est animæ quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab exterioribus interiorâ frenare, vt à corporeis cupiditatibus sapius libera, in aula mentis, diuinæ possit vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrarum silente curarum, in meditationibus sanctis & in deliciis lætetur æternis.] Atque hæc quidem magnus Leo. Verùm cui in hac mentis ab exterioribus rebus auocatione persistere integrum non est, neque illam cōsequente cælesti oblectatione perfrui diutius, id saltem statis temporibus breuiter præstabit, atque si non continenter, at interruptè & per certa interualla cælesti reficietur alimento, gustabitque quàm sit suavis Dominus se quærentibus & amantibus.

Epistola
proœ-
riali
in Iob r.

Sed Gregorium item magnum ad Leandrum sanctissimū Episcopum hac de re scribentem audiamus, qui postquam dixit sese à monasterio ad curam pastoralem abstractū, multos fratres germanâ victos charitate secutos esse hæc subdit. Quod diuinâ factum dispensatione conspicio, vt eorum semper exemplo ad orationis placidum littus quasi anchoræ tunc restringeret, cū causarum secularium incessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium veluti ad tutissimi portus sinum, post terreni actus volumina fluctusque fugiebam.] Vides quemadmodum

modum orationem modò littus, modò portum appellet? vnde efficitur tam esse necessarium Christiano homini frequens orandi exercitium, quàm necessarius est portus & littus in alto nauiganti, ni se velit tempestate iactatum fluctibus obrui.

S. Porro Bernardus multus est tum in laudando orationis studio, tum in eo ipso suadendo, vtinam & persuadeat. Ora, inquit, iugiter, precare Deum diebus ac noctibus, oratio sit sine cessatione, oratio sit frequens, orationis sint arma assidua, oratio de ore tuo non cadat. Insiste orationi, frequenter incumbe orationi, geme, semper & plange: surge in nocte ad precem, vigila, & ora, pernocta in oratione & prece, incumbe nocturnis vigiliis: ad modicum clausis oculis rursus ora.] Vide mihi quomodo id ipsum sapius variatis tantùm verbis inculcat, quàm instat acriter suadendo orationis exercitia. Nempe vtilius nihil in omni hominum vita, salutaris nihil, sed loquatur ipse.

Oratio frequens (quod etiã à me superius allatũ cõmemini) diaboli iacula submouet. Oratio, quotidiana diaboli tela exuperat. Oratio est prima virtus aduersus tentationũ incurfus. Oratio superat tentamenta inimicorum, vincit dæmones, superat immundos spiritus. Per orationem vincuntur dæmonia, oratio omnibus malis præualet.] Itaque tam

vni-

Lib. de
mo. be-
ne vi-
uendi
c. 49.

unicuique nostrum frequenter vsurpanda est oratio, quam nostra refert plurimum dæmone in quotidiana eaq; acerrima tentationum pugna existere superiores. Atq; hinc existimo factum, vt superioris memoriæ Patres, orando noctem diei coniungerent. de Sancto quidem Antonio ita Athanasius pernoctabat in oratione sapissimè, dicebatq; vanam esse ratione vincendi inimicū, lætitiā spiritualē & animæ Dominum semper cogitantis iugem recordationē quæ dæmonum dolos quasi fumum expelleret, persequereturque potius aduersarios quàm timeret.]

In eius
vita.

Epist.
22.

Iam verò D. Hieron. nullū omnino tempus, locū nullum orationi importunū arbitrabatur, ita enim de se ipse ad Eustochium. Memini me clamātem diem crebrò iunxisse cum nocte: solus deserta penetrabam, sicubi cōcaua vallium, aspera montiū, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum, & vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum & lætus gaudensque cantabam. Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.] Atque idem & senserunt & vsurparūt sancti omnes, cuius quidem rei exemplorum plena sunt omnia, tãti semper habitum est à Patribus assiduè orandi studium.

Cant. 1.

Quod

Quod quidem S. Bonavent. pluribus locis enixe cōmendat, idq; censet vnum esse de illis septem, quorum cōsuetudine vitatur apostolicæ præuaricationis opprobriū (ita enim loquitur) & perfectæ sanationis gratia, & re-promissæ beatitudinis gloria obtinetur. Septimum itaque est, inquit, mentem semper habere ad Deum suspensam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona cōtemplando. Vnde quandocumque seruus Dei vel ad modicum Dei non meminit, contremisct ac dolet quasi grauitè offenderit, tanti amici defraudatus intuitu, qui nostri numquam obliuiscitur. Cū summa beatitudo ac gloria consistat in iugi visione Dei, huiusmodi beatitudinis mutatio quædam est iugis memoria Dei. Ista est meritum, sed illa præmium: vnde psalmista ait, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, nec tantum in otio, sed etiam in occupationibus eius debemus esse minores imitatione Sanctorū Angelorum qui missi in ministerium nostrū sic exteriora disponunt, vt tamen ab intimis numquam recedant.] Hæc ille.

Idem autem libello de perfectione vitæ dum totus est in suadendo religiosi, crebrioris orationis vsū ita scribit: supra modum, inquit, cupienti proficere necessarium est, vt assiduis orationum studiis & deuotionibus

De profectu
religios.
lib. 2.
cap. 13.

c. 20.

Psal. 15.

c. 5.

nibus animum suum exerceat, quia reuera religiosus orationem non frequentans non solum est miser & inutilis, quinimmo coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo: Cum enim tantæ efficaciam sit deuotionis virtus, vti ipsa hostis maligni deuincat tentamenta, & versutias diaboli, qui solus famulum Dei impedit, ne sursum ad cælos ascendat, non est mirum, si frequenter succumbat tentationibus miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Vnde B. Isidorus hoc est (inquit) remedium eius qui vitiorum tentamentis aestuant, quoties quolibet vicio tangitur, toties se ad orationem subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Est autem tantæ virtutis deuota oratio, vt ad omnia valeat, & in omni tempore homo possit per eam lucrari: in hyeme, in æstate, in sereno & in tempore pluuiali.] Hactenus Bonauentura: cuius oratio cum & perspicua sit & efficacitatis plena vtinam id efficiat, quod illi propositum fuit.

B. denique Laurentius Iustinianus, licet superioribus æuo longè posterior, his accenseatur, qui quidem varijs lucubrationum suarum locis luculenter testatum reliquit quantum faceret ipse orationis studium, quam etiam in grauioribus causis (ait eius vitæ scriptor) habebat pro fidelissimo consiliario, ac

quo-

Lib. 3.
de sum-
mo bo-
no c. 7.

cap. 6.

quodam loco ita ad eam hortatur. Eniten-
 dum est, inquit, ut in primordio saltem <sup>De ora-
 tionc
 c. 6.</sup> cuiusque operis dirigatur oratio, & divini
 suffragij imploratio: Quia sicut militem
 procedere ad confictum non congruit sine
 armorum protectione, ita neque homini
 Christiano absque orationis munimine ali-
 quid agere licet: egredientem igitur de ho-
 spitio armet oratio, regredientem de platea
 comitetur, cum ambulante ambulet, cum
 operante collaboret: ne prius corpuscu-
 lum requiescat in strato, quam anima pre-
 cibus reficiatur.] Hæc Iustinianus: quorum
 extrema, ferè verbo tenus mutuata ab illo <sup>Epist.
 22.</sup> sunt ex quadam S. Hieronymi epistola, quo
 loco hæc item addit. Ad omnem actum, ad
 omnem incessum manus pingat crucem.
 cuius sanè pictura quædam est iaculatoria
 oratio ut non ita multo post dicendum.

Sed ut ad S. Iustinianum sese referat ser-
 mo; aureo illo tractatu de disciplina & per- ^{c. 18.}
 fectione monasticæ conuersionis, hæc
 habet de orationis frequentia. Ob hoc, in-
 quit, vigilanter iugiterque orationi vacan-
 dum est & in sensu cordis semper Domino
 assistendum, quatenus ex frequenti consi-
 deratione veritatis, fumus humanæ sapien-
 tiæ & caligo carnalis intelligentiæ ab inte-
 rioribus animæ affectibus, irradiante gra-
 tia amoueri possit.] Ac paulo post ita con-
 cludit.

cludit. Quisquis itaque Deo placere affectat, quicumque huius seculi laboriosam peregrinationem peragrarè desiderat, si spiritus transitoria vitæ lenociniis, æterni conuiuij spirituales ac supercælestes delicias apprehendere ac degustare concupiscit; studio orationis se tradat, ad illam alacriter ac paratus accedat, in ea ardentè & in sensu cordis coram Domino assistat, necnon & in ipsa quotidie perseueret.]

Ex his arbitror satis intelligi quanta sit orationis mortalibus, non modò vtilitas, verùm omnimoda etiam necèssitas. Quæ quidem eò spectant ob eamque causam à nobis allata sunt, vt cui vel ob inualetudinem, aut negotiorum multitudinem nō est integrum longiores producere orationes. Is saltem breuioribus hisce iaculatoriis det operam. Sed videndum deinceps, quid à Græcis Patribus nobis ea de re sit traditum.

C A P V T V.

De necessitate creberrimè orandi ex mente Græcorum Patrum.

Admo-
nitione
ad filiū
spiri-
tualem.

AGMEN ducet magnus Basilius qui quidem orationem vocat grande animæ munimentum. Ille itaque orare desinat qui sibi à se satis superque aduersus spiritus hostes

hostes præsidij videtur habere. Atque eius- ^{Ibidem}
dem sunt hæc. Per orationes, inquit, purissi-
mas, omnia nobis quæ sunt utilia tribuuntur
à Domino, & omnia quæ noxia sunt procul
dubio effugantur.] Quis est autem, qui ita
omnibus affluat rebus, ut nullius egeat? quis
autem ab omnibus aduersis ita securus, ut
nihil pertimescat?

S. Ephrem Basilio magno cœuus, atque
cum ipso arctæ necessitudinis vinculo con-
iunctissimus, comparat orationem arcui. Pro
arcu, inquit, ad orationem manus tuas ex- ^{Psal. 17.}
tende sicut scriptum. Et posuisti ut arcum æ-
reum brachia mea: verè enim arcus æreus est
contra inimicos, expansæ in oratione ma-
nus in scientia orantis. Est etiam sicut sagit-
gitta directè immissa ab eo qui arcum vi-
brat.] quæ omnia apprimè conueniunt his-
ce orationibus, quæ à iaculis nomen inue-
nerunt.

Sed Chrysostomum luculenter hac de re <sup>Lib. 1.
de orã.
do Deũ.</sup>
differentem audiamus. Quemadmodum, in-
quit, Sol lucem præbet corpori, sic animæ lu-
men est precatio. Proinde si cæco damnosum
est non intueri solem, quãto grauius damnũ
est homini Christiano, si non assiduè depre-
cetur neque Christi lucem orando in animũ
suum inducat?] Sed his grauiora paulo post
subiicit mala, dum & mortuum & amen-
tem dicit eum, qui orationi non incumbit.

S

Quis-

Quisquis (ait) Deum non orat, nec diuino colloquio cupit assiduò frui, is mortuus est & vitâ carens, ex persq; sanæ mentis. Quem admodum enim corpus hoc nostrum si non adsit anima, profecto mortuum est ac fœtidum, sic anima nisi seipsam incitet ad orandū mortua est, ac misera & grauiter olens.]

Pergit probare Danielis factò, posthabēdam mortem ipsam orationi, præstareque etiam emori: quàm ab ea desistere. Insuper, inquit, quòd oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex Persarum, vt impietatem admitteret, tantum illud obseruabat. Si quis intra triduum quidquam petere deprehenderetur ab vllò deorum aut hominum præterquam ab ipso: sed Propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorū in animas nostras venire possit: Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, hosque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes omnia bona nobis illinc defluxura.

Deinceps grauissimè iuxtà ac verissimè

con-

concludit ab omni virtute inopem esse, qui precandi studium negligit. Itaque inquit, cum video, quempiam non amare orandi studium, nec huius rei feruida vehementiq; cura teneri, continuò mihi palàm est nihil illum egregiæ dotis in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adherentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continèter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem ac Dei templum. Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim quò fiat ut is virtutem exerceat nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Rursus quò fiat, ut aliquis concupiscat esse temperatus & iustus, nisi lubens cum eo cõsuetudinem ac colloquium habeat, qui cum hæc, tum his etiam plura exigit à nobis?]
Neque verò virtutes tantum mentisque bona parit oratio, verùm etiam corporis atque externa, ut præclare idem Chrysostomus. Deprecatio, inquit, ingentia pericula depellit, siquidem ille Rex simul & Propheta mirabilis Dauid multos ac sæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitum muniens, atque ita tradidit suis militibus po-

ibid.

tiri victoriâ, quietus interim ac securus: Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis suæ spem ponere consueuerunt in militum peritiâ & arte belligerendi, in sagittariis, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid, sanctis precibus manuum vice suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens Imperatorum, Tribunorum, ac Centurionum ferociam, neque pecunias colligens nec arma comparans, sed orando diuinam armaturam è cælo deportans. Nam verè cælestis est armatura deprecatio quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet his, qui sese Deo tradiderunt, si quidem Cataphractorum & robur & peritiâ, tum sagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste calliditatem, sæpenumero ludit ac frustratur vel ipsa belli facies, vel hostium fiducia, cumque his alia permulta: Ceterùm deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum nec vnumquam fallens munimētum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostiū millia.] Hæc Chrysostomus, qui sub finem huiusce tractationis id asserit accidisse Moysi, cui solam precationem aduersus innumeros hostes præsidio fuisse ostēdit. Dic mihi (verba sunt, Chrysostomi) quomodo Moyses Israeliticum populū in bellis seruauit? an nō arma quidē cū exercitu discipulo tradidit; ipse verò deprecatio-

nem

nem opposuit hostiū multitudini: nos inter-
rim docēs preces iustorum plus valere, quā
arma, quā equitatū, quā pecunias, quā
multas copias, eoque vniuersus exercitus &
munera militum multitudo in deprecatione
Prophetæ spē salutis habebat: siquidē orante
Mose superabāt Iudæi, eodē ab orando ces-
sante, inferiores erant hostibus. Ibidē & nos
orantes facillē diabolū superabimus, cessan-
tes verò scelestum illum in nos instruimus.]

Atque vt finē faciā his, quæ habet Chryso-
st. de orationis viribus ac præsidio in hostes, hæc
pauca subijciam quæ ab ipso traduntur de S.
Paulo magno virtutis huius cultore. Illinc, *Ibidem.*
inquit, intelligi poterit quāta sit vis sanctarū
precum, quod Paulus per totum orbē terra-
rum velut alatus discurrens, in carceribus ha-
bitans, flagella sustinens, gestans catenā, vi-
uens in sanguine ac periculis insuper & dæ-
mones eiiciens, ac mortuos excitās, morbos
abigens, in harū rerum nullā fiduciam posuit
seruandi homines, sed precibus communiit
orbem: postq; miracula, post excitatos mor-
tuos, ad deprecationis præsidium accurrit, non
aliter quā Athleta à corona ad palæstram
quandoquidē & mortuorum excitationem,
reliquaq; omnia suppeditat deprecatio.] Finem
dicendi non faciam, si quæcumque ab
hoc eloquentissimo sanctissimoque patre in
hanc quidem sententiam atque ad orationis

persuadendum vsum sunt scripta, in medium afferam: ac omittere non licet quas ad idem habet præclaras similitudines duas, quibus orationem tum neruis corporis, tum aquæ, quâ destitutos pisces in sicco emori necesse est, pulchrè confert: Iam verò, inquit, si quis animæ neruos dicat esse deprecationem, meâ quidem sententiâ videbitur verum dicere. nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat & compactum est, adeò vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: Itidem animæ per sanctas preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cussum facilè peragunt. Quòd si seipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio.] Hactenus Chrysostomus. Cuius quidem doctrinam maxime quæ de innumeris precationis fructibus est, ipsa re, vsuque confirmatam sæpius sacræ testantur historiæ, tum huius tum patrum memoriæ, quod ex dictis & dicendis planum fiet.

CAPUT VI.

*De crebritate orationum iaculatoriarum
quanta ea esse debeat.*

DIFFICILE admodum est statuere, quàm cuique frequenter sit ad Deum aspirandum: quemadmodum enim alius alio occupator est, alius alio orandi studiosior: magna item est morum, naturarum, cōstitutionum, viriūque tum corporis tum animi varietas, & quod caput est, non omnibus æquè insita est ad pietatem Dei que cultum propensio: ita magnam etiam in huiusce virtutis cultu frequentia que varietatē existere necesse est.

Vidimus supra quanta animi contentione sententiarūq; grauitate sancti Patres creberrimum ipsius vsum suadeant: neque verò obscurum est, idem à Christo Domino sanctisque Apostolis non semel præscribi, vt sic nullum vitæ punctum effluat, quo Dei. Opt. Max. memoria animo non obuersetur: nam vt verè Bernardus, tempus illud omne quo de Deo non cogitas existima tibi periisse, quare in omni actu, vel cogitatu tuo Deum tibi adesse memorare. Et sanè si Monarcha à fide alienus eum se diem perdidisse quæretur apud amicos quo nemini benefecisset: quantò censebit dolebitq; magis illud tem-

Inspecu
lo Mo-
nacho-
rum.

Suetonius in
Tito.

pus sibi periisse vir pius, quo Dei recordatione posita terrenis rebus animum, inanibusque & noxiis fortasse non tam occupauit, quàm infecit, atque sc̄dauit?

673.

Querebatur quidē Iob se doloribus confectū, atque prostratum, vacuos mēses habuisse: an nō is habet menses, & dies, & tempora vacua, qui (vt loquitur Gregorius) quamlibet multū vixerit, ætatis suæ tempora in vanitate consumit, cælestium quidem oblitus, Deiq; immemor, humanarū autem rerum, caducarūq; plus equo memor? Contra quā is beatus de quo illud psalmographi prædicari potest. *Et dies pleni inuenientur in eis.* Plenus dierū dicitur, (ait Gregorius) cui nequaquā dies sui percundo transeunt, sed ex quotidiana mercede orationis, apud iustū ludicem, & postquam transacti fuerint, reseruantur. Plenus dierum moritur, quia subsequente luce ex mercede quotidianarum orationum, deposito corruptionis pōdere ad incorruptionem spiritalis patriæ mutatur: plenus dierum moritur, cui labentes anni non transeunt, sed stantium actuum retributione solidantur: plenus dierum moritur, quia per hæc transeuntia tempora, id quod non transit operatur.] Hæc Gregorius, quæ quidem de qualibet actione studiosa ab eo dicta ad orationem accomodauimus.

Psal. 74.
10.Lib. 35.
in Iob.,
cap. 24.
& 25.

Quisquis itaq; orationi se dat totum, is de-
mum

nam uiuit plenos dies ac solidos, eiusque sunt opera plena coram Deo: & quamquam immaturâ morte abripiatur, cōsummarus in breui expleuerit tempora multa, non annorum ratione, sed meritorū. Quod à sacris literis haud facile, teste Gregorio, asseritur nisi de eo, cuius ab iisdem vita laudatur. Implet autem is dies suos, quia nullum vitæ momentum ab orando vacuum sinit, actiones suas omnes, ante oratione præmunit atq; præfulcit, earum cursum progressumque comitatur semper oratio, ipsasque ad exitum perductas excipit & coronat. Quid multa? est ei oratio cibus, potus, exercitatio, voluptas, solatium, somnus, quies & omnia, neque se viuere existimat si vel minimùm ab orando desistat.

Apoc.
3. 1.Sap. 4.
13.Genes.
25. 8.

Sed quæ tandem uideretur huiusce exercitij crebritas (vt ad propositum reuertamur) posse omnibus & singulis præscribi, vt nec ab occupatissimo quoque iure sit repudianda? dicam in hac quæstione quæ à sanctis didici. D. quidem Chrysostomus ita scribit, oportet singulis horis vnâ preceptionem offerre Deo, vt orandi cursus diei cursum æquet.]

De orã-
do Deū
lib. 1.

Quemadmodum igitur sol 24. horis diem peragit integrum, ita nos ipsius iter consecrantes eiusque cursus mensuram ad vitæ nostræ regulam aptantes, in horas singulas

S 5 quibus

quibus vigil est animus, breuiter ad Deum
aspiremus. Cuius quidem rei etiam ab ipsa
horæ etymologia, causam atque inuitamen-
tum humanus licet. Cùm enim hora ab He-
bræo אור or ducatur, quod quidem lucem
atque interdum solem significat à radice so-
ni eiusdem אור id est, illuxit, seu illumi-
natus est) quid à nobis hæc aliud exigit ety-
mologia, quàm vt quauis hora, quod ipsamet
A sonat hora, quodq; eius vi & notione cõ-
tinetur, lucem nimirum ab ipso fontis luce,
quippe tenebricosi, suppliciter postulemus,
illa Davidis vsurpantes identidem: Illumina
oculos meos ne vmquam obdormiam in
morte, nequando dicat inimicus meus, Præ-
ualui aduersus eum. Faciem tuam illumina
super seruum tuum, & doce me iustifica-
tiones tuas. Illuminate his qui in tenebris &
in vmbra mortis sedent. Emitte lucem tuã &
veritatẽ tuam. Sed quas ipse Chrysostomus?
sui seu præcepti seu consilij, grauissimas ad-
fert rationes; pretium erit operæ audire.

Lib. 2.
de orã-
do Deũ.

Quemadmodum inquit, ciuitas quæ muris
cincta non est, facilè venit in potestatem ho-
stium, propterea quòd profus absit id, quo
fuerat hostium incursus arcendus, sic & ani-
mam non munitam precibus, Diabolus faci-
lè in suam redigit ditionem, nec multo ne-
gotio omni genere scelerum implet. Nam
primùm quidem ad animam precibus com-
munitam

munitam non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem quam illi deprecatio subministravit, magis vegetans animum, quam cibus vegetat corpora. Ad hæc qui precantur seriò, non sustinent quidquã admittere indignũ precatione, sed reuerentes Deum, quicum modò collocuti fuerunt, citò repellunt omnem mali spiritus molitionem, apud se reputantes quantum scelus sit, eum qui paulo antè cum Deo sermonem miscuerit, quiq̃ue ab eo pudicitiam ac sanctimoniam petierit, extemplò ad Diabolum deficere, fœdãque voluptates in animum admittere, ac Diabolo præbere aditum in peccatus, quod paulo antè Deus inuiserit, ac dæmoniis concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus sancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac sollicitudinem. Hæc Chrysostronus.

Magna igitur omnino res est, multumque expetendus horariæ huiusce orationis fructus, qua & contra dæmonem præsidium, & aduersus peccati genus omne validissima parantur arma.

Idem tria maximè tempora, horarumque spatia vult oratione præmunita, matutinum scilicet, meridianum, ac solis crepusculum. Dic mihi, inquit, quã fronte solem intueberis nisi prius adoraueris qui lumen illud dulcissimum oculis mittit? quo pacto frueris mensã

Lib. r.
sub fi.
nem.

mensâ nisi prius adoraueris eum qui tibi tantum bonorum largitur ac suppeditat? Quam spe trades teipsum nocturno tempore, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, nisi teipsum praemuniueris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemptibilem captumque facile teipsum praebebis sceleratissimis spiritibus, qui continenter obambulât obseruantes nos, ut si quem deprehenderint nudatum deprecationis praesidio, protinus abripiant: si nos conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt non aliter quam praedones ac facinorosi ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum deprecationis praesidio, hic auulsus deportatur a demonibus, & in calamitates variaque mala impellitur.

Lib. de
perfe-
ctione
vitae c. 5.

His consentanea scribit Bonauentura in haec verba. Quaecumque hora lucratur homo oratione deuota plusquam valeat totus mundus, quia tali oratione acquirit homo regnum caelorum, sed de harum emolumento latius infra dicendum erit.

Ac piorum quidem numquam satis laudata consuetudo, quam se audito horae pulsu cruce consignant, multum fauet Chryostomo ac Bonauenturae: hoc enim factitant imitatione praefectorum, quorum id ipsum more receptum erat: cuius rei sane luculentum exstat monumentum in conuersione sanctae Afrae & Sociarum
mar-

martyrum. Ego (ait ibi quidā Ethnicus ad S. Afram) cognoui eos (sanctos scilicet Narcisum & Fœlicem) serò ad te venisse, & scio quia Christiani erant, nam omni horâ signabant frontes suas signo crucis in qua Christus eorum passus est.] Porrò crucis formationem inter iaculatorias orationes referri nemo dubitare potest, ea quippe sanctissime Trinitatis inuocatio vel expressa vel tacita continetur. Eâ palàm profiteretur quis fidem se dare eidem Trinitatis mysterio, vt & admirandæ Verbi Dei incarnationi, Christiq; Domini passioni. Eâ testatur se credere in Ecclesia existere peccatorum remissionem, seque æternæ vitæ spe sustentari. Cùm igitur crucis signum plurimas, tum fidei, tum spei ceterarumque virtutum (vt fusè Gretserus noster) complectatur actiones, meritò ad aspirationes reuocandum.

Lib. 3.
de cruce
c. 2. & 3.

Ad hæc Leo decimus Põtifex maximus mille dierũ condonationẽ indulgit pronũtiantibus in singulas horas Angelicam salutationẽ. Quod quidẽ nuperrimè instauratũ cõfirmatumq; à sanctissimo D. N. Paulo V. ita Lusitanorum animos ad Deiparæ cultũ accendit, vt omnibus summis iuxta ac infimis, omniq; hominũ ordini solemne sit horæ pulsu audito, illico rebus vniuersis posthabitis, aliaque cogitatione, & actione omni posita Deiparam capite etiam detecto salutare.

Quod

Quod quidē sibi vehementer placere non obscuro argumento anno 1614. palàm fecit Deus Opt. Max. vt omnes intelligant quantū illi curæ sit honor parentis suæ. Cū enim Conimbricæ (ciuitas est Lusitaniæ imprimis nobilis, Doctorūque domicilium) operiretur quidam certum hominem à quo capitali odio diffidebat, sclopo instructus, vt transeuntem illum incautum transfoderet, cumq; is postquam sibi visus esset rectè collimasse (oculoque mensus esset tempus quo alteri opus esset vt vsque eo ambulando progrediretur, dum ei foret ex aduerso) sclopū displosisset, ignemque puluis concepisset, atque ex eo emissus globus magno fragore cōpleisset omnia; mira res & ferè post homines natos inaudita: abiit homicida re infecta, atque in irritum omnes eius conatus cecidere: quòd alter audito horæ pulsu repenti constitit vt pro more Deiparam salutaret, nec ad eum loci pūctum pertigit quem scelestus ille oculos designarat. An potuit Deus efficacioribus testatum facere argumentis, tum quàm capiatur matris suæ cultu, tum quàm ab eo probetur horaria aspiratio, & precatio? Scio equidē quàm plurimos vel hoc nostro, vel patrum æuo frequentiores extitisse in hoc pietatis exercitio, at ea frequentia à nobis indicata est, ex sanctis Patribus piorūque consuetudine, quæ cuius hominum ordi-

dini

dini vsui esse possit. Qui autem id præstare
volet crebrius (quod quidem velle debent
omnes) eo etiam is vberius eximios qui ex
diuino colloquio colliguntur fructus perci-
piat necesse est.

Adhæc, quæ de horaria aspiratione sunt
allata, accipienda videntur de ea quidem
paulò longiore, quæque mens exterius dissi-
pata negotiis in sese colligatur, colligetur-
que Deo, ei que aliquantum adhærescat, in
eoque conquiescat nonnihil: breuioribus si-
quidem aspirationibus quæque momento
ferè perficiuntur, pius quisque, horam quã-
libet ac tempus omne quasi inferciat; ab iis-
que nullam eius partem abire sinet vacuam:
quippe cui res omnis, quamlibet exigua, gra-
dum faciat ad cælum, eumque ad Deum qua-
si manu ducat.

Postremùm quemadmodum postquam
B. Pachomio Angelus orandi mensuram
tum illi ipsi tum suis definiens, præscripsisset
vt diurnæ orationes (inquit Hieronymus)
duodecim fierent, & vespertinæ duodecim,
totidemque nocturnæ, ac illi visum esset ni-
mis exiguum Religiosorum perfectioni esse
istum numerum, id responsi retulit ab An-
gelo. Has constitui quas possent infirmiores
absque labore perficere; cæterùm qui perfe-
cti sunt, hac lege non indigent. Apud se
namque in propriis constituti cellulis orare
non

De vitis
PP. l. r.
c. 19.

288 DE ORAT. IACULATOR.
non desinunt qui puritate mentis, & diuinâ
contemplatione pascuntur. Hactenus An-
gelus ad B. Pachomium.

Sic quodâ Chrystomo Bonauenturaq;
traditum de horaria aspiratione, id quidem
cuius hominum ordini, conditioni, viribus-
que est consentaneum; potest enim quibus-
dam id semel, intra horæ spatium si non cre-
brius, at semel utique ab humanis sese nego-
tiis, ad seipsum, & ad Deum oratione reuo-
care; quamquam spiritualis, perfectionisque
vitæ cultoribus, religiosisque vniuersis si fe-
rat valetudo, non videatur intra hosce ter-
minos consistendum.

C A P V T VII.

*Superior & magis practica explicatio
eorum, quæ de horaria aspiratione
dicta sunt.*

LICET cuique sit integrum, de iis quas
varias hactenus attulimus iaculatorias
adhibere in horas singulas, non erit tamen
abs re, si eas etiam quæ ab ipsa hora, eiusque
fluxu ducuntur, atque ab iis quæ sacræ nobis
litteræ, aut horæ, aut breuioris cuiusq; tem-
poris mentione factâ, commendant vehe-
menter, in medium afferamus. Et quam-
quam non omnes illæ quas subijciam pos-
sint

sint cuiuspiam videri propriè iaculatoriæ orationes, imò ne orationes quidem, meminerit is nos superiùs piam omnem, eamq; breuiorem in Deum motionem, affectionemque omnem, quæ ad eum, quoquo modo referri valeat, hac nomenclatura esse complexos. Non est autem assignata cuiilibet è 24. horis diei naturalis sua iaculatoria, quod de ijs nocturna quies, minimùm septem, sibi iure suo, naturæq; necessitate vendicet: quem tamen vel noctu vigilare, vel tùm è somno euigilare contigerit, eas si videbitur, adhibebit, quarum vsu diurno maiorem tum fructum percepit, tum spirituales oblectationem.

Atque secuti sumus tum hîc, tum in consequentibus, communem toti ferè Europæ horarum diuisionem ac mensuram, quæ horas æquales 12. numerat à meridie, vsque ad mediam noctem, totidémque hinc ad proximum meridiem: excepta Italia & Bohemia, diem quæ definit ab vno solis occasu ad occasum alterius, indéque horas æquales numerat, priscorum Atheniensium æmulatione. Sed eas facillè fuerit ad nostras reuocare: quæque his aptantur aspirationes, ad illas etiam accommodare.

Primùm igitur experfecto (hora nempe quarta matutina, vnde & diei totius initium Rom. 13 facimus) occurrat illud Apostoli (nisi quid 11.

T habet

habet melius, hæc enim exempli causa tantum, iuuantisque rudioribus afferuntur) Hora est iam me de somno surgere, nunc enim propior est mea salus, quam heri quando me quieti dedi, vnam porro noctem sum prouectus, eoque fini meo quam antea propinquior. Surgam itaque qui dormiui hæctenus, & exurgam à mortuis, & illuminabit me Christus. In matutinis meditabor in te Domine, quia fuisti adiutor meus: præueniam in maturitate, & clamabo, quia in verba tua superaspexi. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Ephes.
5.14.

Isa. 26.9

Verum vt sibi constet Asceta, nec aliud verbo, aliud re exhibeat, det se illic orationi, quam etiam inter vestiendum adhibeat, illamque ipsam horam, adeoque diei totius facta, sermones, cogitationesque Deo representet, vt ea ex vniuersa ita moderetur, dirigatque, vt maiori ipsius gloriæ obsequioque promouendo famulentur.

Hora quinta cogitet, indicatam quidē sibi ære campano hanc certam horam, horologium autem extare nullum, quo indicetur cuiquam mortis hora. Morte quidem nihil certius: statutum est siquidem omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium, eius tamen hora incertius nihil. Dies Domini sicuti fur in nocte ita veniet. id autem maxime

Hebr. 9.
27.

2. Thess.
5.

ximè cauet fur, ne præuideri possit quando in expilandas ædes irrepturus sit. Arbitretur sibi dictum illud Christi. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Vigilet itaque neque vllâ sit horâ securus, cum nulla sit hora, imò ne horæ quidem momentum, quo sit mortis legibus solutus: neque sibi vesperam promittat: nemo enim est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperam esse victurum: neq; dicat hodie aut cras aut insequente hora, hoc aut illud faciam, qui ignorat (inquit Iacobus) quid erit in crastino: sit necne post horam superstes futurus. *Quæ est enim vita nostra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Matth.
24. 42.
44.

Iac. 4.
14.

Hora sexta, quanti hac ipsa hora, orbe toto, variis casibus mortui improuisè? Sed quanti in infernum ruere præcipites, qui dum moram faceret eorum Dominus venire, cœperunt percutere conseruos suos & manducare ac bibere cum ebriosis: At cum venisset postmodum Dominus illorum in die qua nō sperabant, & hora qua ignorabant, diuisit eos, partemque eorum posuit cum hypocritis, vbi erit fletus & stridor dentium. An mihi non potuit idem accidere? potuit vtique. At pretiosa fuit anima mea in conspectu tuo Domine: Quapropter confitebor tibi in toto

Matth.
24. 48.

T 2 corde

corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: Quoniam misericordia tua magna
 Psal. 35. est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Hora septima. Quam multi, fluente sensim hora sequente, soleque pedetentim sese supra horizontem efferente, fluent pariter & ipsi, defluentque ac descendunt in mortem. Cùm semel enim (vt præclare S. Prosper) in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas est, obnoxium sibi omnè vitæ nostræ fecit diem. Hi tamen ipsi, vt & tu fortassè, multos sibi vitæ bene longæ promittebant annos: at repromissio nequissima (eheu!) multos æternùm perdidit. Iterum atque iterum siquidem sapis, caue ac provide ne ea te item perdat. Vide ne inueniat te Deus in menstruis tuis, in sceditatibus, in facinoribus tuis.

Hora octaua. Puta his vndique circumsonare aures tuas Sapientis vocibus, quibus quidem ad seriam conuersionem inuitaris. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Quasi dicat vel hac ipsa horâ redi ad cor ô præuaricator, peccata tua desle, præterita plange, futuris provide: neque verò dicas vt
 Eccl. 5. 8
 In psal. 344. præclare monet August. cras me conuertam, cras Deo placebo, & omnia hodierna & hesternæ

sterna remittentur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conuersioni tuæ indulgentiā promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Quibus adde, imò ne sequentem quidem horam & quæque iam in fluxu est, promisit.

Hora nona. Si in tempore conuersionem meam negligo, hancque ipsam horā qua me ad se Deus varijs reuocat modis & vocibus surdā aure prætereo, magnoperè mihi sanè timendum est, ne postea obsurdescat & ipse ad clamores meos, meque planè deserat, atque impropere intonet lugendum illud: Vocauit & renuisti, extendi manum meam, Prou. 3. & non fuit qui aspiceret: despexisti omne 24. consilium meum, & increpationes meas neglexisti. Ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo, cū tibi id quod timebas acciderit. Tunc inuocabis me, & non exaudiam, manè consurges & non inuenies me.

Iustum utique supplicium, ut qui placere Deo cū possint, nolint; cū velint, serò non possint. Greg. p. 3. part. admon. 13.

Hora decima. Quantò mercarentur damnati vel vnicum vitæ momentum (quæ quidem habes plurima in potestate tua) si in eo scelerum suorum possent pœnitundine duci, seque inferni pœnis eximere. Verum nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas. Atque

à mortuo quasi nihil perit confessio. Quare
 Eccl. 9. quodcumque potest facere manus tua, in-
 10. 11. 3. stanter operare. Si enim ceciderit lignum ad
 Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque
 loco ceciderit, ibi aeternum erit.

Hora vndecima. Vide quæso quemadmo-
 dum vitæ tuæ particulâ fluente horâ, fluxit
 item & ipsa. Cogita fluxuram & aliam (ni an-
 tea occidat) fluxu insequentis, atque ita te
 Lib. 2. continuò mori. Sicut enim (ait Prosper) vi-
 de voc. ta huius principium, mortis est exordium;
 gent. c. ita vitæ progressio, mortis est progressio.
 21. 22. In singulas non horas modò, sed & momen-
 ta moreris; quouis etenim momento demit-
 tur vitæ pars aliqua, & tum quoque cum
 crescis, vita decrescit. Ad hoc vsque pun-
 ctum quidquid temporis transit, perit, &
 hoc ipsum quod agis vitæ punctum, cum
 morte diuidis. Quemadmodum clesidram
 Epist. (vt scitè Seneca) non extremum stillicidium
 24. exhaurit, sed quidquid antè defluxit, sic vl-
 tima hora, quâ esse desinimus, non sola
 mortem facit, sed sola consummat. Caue
 igitur mortis memoriam, quam obis sem-
 per, deponas vmquam. Et quoniam ea ti-
 bi semper adest, fac vt eius item cogitatio à
 te non recedat. Mature præpara quæ in eam
 tibi horam vsui esse poterunt. Memento
 mori. Memorare nouissima tua, & in aeter-
 num non peccabis.

Hora

Hora duodecima. Medio iam decurso die, soleque meridiem ingresso, pone breuiter cor tuum super vias tuas, easque scrutare diligenter. Expende quomodo matutinū tempus à te expētum. Si bene, gaude, Deoq; gratias habe: in minus, dole, ac voue meliora. Cogita tibi neminem quæ iam fluxerūt redditurum horas: nemo iterum te tibi reddet. Ibit quā cœpit ætas, nec cursum suum aut reuocabit, aut sustinebit, nec te admonebit velocitatis suæ; tacita labetur. Itaque si sapias, saniora propones, efficiēsque vt pomeridianis horis (si eas quidem te viuere patiatur Deus) fœlicius actis, non te, cū ad vesperam ad te ipse reuocabis, temporis malè absumpti pudeat, pigeatque. Cogitabis præterea quàm multis occidet hic sol ante occasum, quàmq; innumerabiles mortales ad eā vesperam non pertingent. Deumq; precaberis vt si tibi contingat idem, non occidat saltem tibi sol iustitiæ, neque supremâ horâ illa repertus sis in tenebris, & in vmbra mortis.

Atq; vt à subtristioribus hisce cogitationibus respices nonnumquam, erige hac horâ animum ad ipsius fontem lucis, ad Deum inquam solem verum qui semper in meridiano suo constitutus consistit immobilis, neque ascendit, neque descendit vumquam, semper vnus, semper idem, nullâ vicissitudine mutabilis, nullâ mutatione varius, nec solis nec lu-

næ vicibus obnoxius constans esse suum tueri & continet, stabilisque manens dat cuncta moueri. Illum tu suspira diem, quo ei adhærescens mirabilitatis omnis expertis, idem eris semper vnusque, quando nec deficient anni tui nec capient incrementum: quando florenti tuæ ætati sensim siue sensu tacita non obreper senectus, quando immutabili Deo æternum coniunctus, omnem ignorabis mutationem, quando mortale hoc induerit immortalitatem, atque temporale in æternitatem, vmbriticumque in veritatem transierit. O fœlix dies illa nimiumque fœlix, quâ mihi ad cœlestem Ierusalem aditus patebit! vbi sibi constant vniuersa, & permanent.

August.
medit.
c.26.

Hyems horrens, æstas torrens illic nunquam sæuiunt:

- » Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum:
- » Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum:
- » Virent prata, vernant sata, riui mellis influunt:
- » Non alternat luna vices sol vel cursus siderum,
- » Agnus est fœlicis vrbis lumen inocciduum.
- » Nox & tempus desunt ei, diem fert continuum.
- » Absunt morbi semper sanis, senectus iuuenibus,

Hinc

Hinc perenne tenent esse, nam transire „
transiit. „

Inde virent, vigent, florent, corruptela cor- „
ruit, „

Immortalitatis vigor, à morte ius omne tu- „
lit. „

Non dubito fore cui hæc, vt & quæ superiùs
& quæ postmodum afferentur longiora vi-
debuntur pro iaculatoriis. At non est id qui-
dem necesse vt in singulas vices, ea adhibe-
antur omnia, sed aliàs hæc, aliàs illa, vt cui-
que visum erit.

C A P V T VIII.

Superioris capitis prosecutio.

HORA I. à meridie perpendam mihi
fortè hac ipsa horâ moriendû. An para- Matth.
tus sum antea ctæ vitæ rationem reddere exi- 25. 4.
genti Deo? Sponsus venit, ei que proceden-
dum obuiam, num renes castimoniâ præ-
cinctus? Num ardentes in manibus lampæ-
des? Num instructæ, atque ornatae? num Matth.
bonorum operum oleum in vasis? At vbi 22. 11.
vestis nuptialis, ac dignus tanto rege orna-
tus cultusque?

Hora II. quamquam nihil omnino
mihi fortè sum conscius, non eò tamen iusti-
ficatus

T 5

Iob. 27.
6.
Iob. 9. 21. ficatus sum, qui enim iudicat me, Dominus est: licet non me reprehendat cor meum in omni vita mea, licet simplex sim, hoc ipsum ignorat anima mea. Planè nescio, vtrum amore an odio dignus sim, sed omnia in futurum seruantur incerta. Me fugit simnè de ouibus an de hædis, zizaniãne an triticum. Satagendum itaque mihi vt per bona opera, certam meam vocationem faciam & electionem.

Hora III. Quamquam mihi exploratum foret qualis sum modò, diuinaq; didicissem reuelatione, me hâc ipsâ horâ Deo esse charum & acceptum; quis se vadem præstiterit in ea me amicitia perseueraturum. Qualiscumque modò sim, quis post horam sum futurus quis tãdem sciat? An non exiguis momentis, vt præclare Ambros. mēs inclinatur humana, & huc atque illuc pro astutia suadentis frequenter impellitur? An non monet Apostolus, vt qui se existimat stare, videat ne cadat? Et vt timeamus, ne fortè reli-
 Heb. 4. ctã pollicitatione introeundi in requiẽ eius, existimetur aliquis ex nobis deesse? Quonã
 Apoc. 3. verò spectat illud Ioannis nisi hanc naturæ humanæ mutabilitatem? Tene quod habes,
 Rou. 27 vt nemo accipiat coronam tuam? Quò illud sapientis, Ne glotieris in crastinum, nesciens quid superuentura pariat dies? Audiam igitur psalmistam, seruiamq; Domino in timore

I. 4. in
Lucam.

I. Cor.
10.

Heb. 4.

Apoc. 3.

Rou. 27

more, & exultabo ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, & peream de via iusta. Firmissimeque tenebo illud Augustini: Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, vna fiducia, vna firma promissio misericordiæ tuæ Domine.

Hora IV. Si prospicis ô Deus meus, fore mihi ansam ad peccandum, longioris vitæ moram; rape me, quæso te, in hac ipsa hora, ne malitia muret intellectum meum, aut ne fictio decipiat animam meam, ne fascinatiô nugacitatis obscuret bona, & inconstãtia concupiscentiæ transferrat sensum sine malitia. Propera me educere de medio iniquitatum, placitaque sit tibi anima mea, ut consummatus in breui expleam tempora multa. Contra verò si meæ vita longior saluti expedit, eius oro te profer terminos. Adde annos 15. (quod quidem à te olim indultum Ezechiæ) vel eo etiam plures si molliendo ferreo cordi meo totidem sunt necessarij. Ne quæso, ne reuoces me in dimidio dierum meorum, ne sim sicut viri sanguinum & dolosi, quorum ob scelera, dimidiantur dies.

Hora V. Dispone, ô anima mea, domui tuæ, hâc enim ipsâ horâ morieris tu, & non viues.

Hora VI. Finis venit, venit finis, numeravit

Pfal. 2.

I. 10. cõf.
c. 32.Sap. 4.
12.

Isa. 38.

Isa. 38.

Dan. 5.

uit
26.

uit Deus dies tuos, & compleuit illos. Vtinam ne dicatur, Appensus es in statera & inuentus es minus habens.

Eccles. 38. Hora VII. Occurrat illud Sapiientis: Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie. Puta tecum ita loqui defunctum aliquem. Memento conditionis meæ, quam Dei iudicio atque decreto subire debui; talis enim erit & tua, cùm Deus ita de te fieri iusserit: qualeque in me exercuit iudicium; idem in te exercendū est aliquando. Neque verò illud in multos differendum annos stultè promittas: quod heri mihi accidit, id ipsum tibi hodie expectandum est: Quilibet enim dies imò hora etiam, tibi suprema esse cur non possit?

Hora VIII. In vesperrini punctis examinis, sit hoc vnum. Stulte qui dixisti animæ

Luc. 12.
18.

tuæ: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, ecce hac nocte animā tuam re-

Abac. 2.
12.

petunt à te, & quæ parasti cuius erūt? Cuius erit domus hæc, quam edificasti in sanguini-

Micr. 22

bus & in iniustitia? Cuius autem erunt diuitiæ quas congregasti in malum domini sui? Cuius diuitiæ quas fecisti & non in iudicia? Cuius aurum & argentum? cuius

Eccles.
34.

thesauri iniquitatis, merces operariorum defraudata? vita, panis, sanguisque anima-

Micr. 2.

tum pauperum? cuius erunt villæ possessiones

nes

nes, horti, agri, expilationibus, furtis, rapinis, terminorum quos posuere patres tui translatione, vi, dolo malo, staterâ iniustâ, pondere & pondere, pauperumque oppressione parti. Quæ tanto tibi labore, sumtu, operâ, angoribus, cruciatibusque tum diurnis tum nocturnis iam annos multos parasti, qualiacumque sint ea, cuius erunt tandem? Tua certè non erunt, quia nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poteris. Nudus egressus es de utero matris tuæ, & nudus reuerteris illic. Cùm interierit homo, non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius.

1. Tim.
6.7.

Iob. 1.

Tua certè non erunt, siquidem terrena sunt & fugientia, quæ nec te comitabuntur, neque tibi proderunt in hac die ultionis, neque aliud hinc asportaturus sis tecum, præter facta tua, bona ea sint, aut mala. Opera enim illorum sequuntur illos. Cuius erunt igitur terrena hæc? Thesaurifasti miser, & ignorasti cuinam ea congregâris. Relinques alienis diuitias tuas. Aliis congregasti & in bonis tuis luxuriabuntur. Scrutabitur scenerator omnem substantiam tuam, & diripient alieni labores tuos. Hæreditas tua, vertetur ad alienos & domus tua ad extraneos.

Psal. 49.

Eccles.
14.2.

Si religionis votis es obstrictus, quæ parasti cuius erunt? Varia eruditio multarum

Psal. 108.
Thren.
5.2.

que

que rerum in omni scientiæ artisque genere cognitio, quam sibi orationis neglectu, obedientiæ violatione, officiorum charitatis in proximum omissione, rerumque diuinarum incuriâ comparasti fortè, cuius erunt? Quid ijs fiet tandem? cui bono erunt? Quid profuerit extremâ horâ illâ litteratum fuisse, acutum philosophum, eximiû Theologum, insignem concionatorem, animumque varijs tum naturæ tum artis dotibus ornatum exultumque habere; si is à charitate, ab humilitate, à paupertate, cæterisque dignis religioso virtutibus inops sit & egens.

Hora IX. Quoniam est somnus, expressa imago mortis, eamque scriptura etiam sacra somnum vocat, idcirco horam illam, quâ se Asceta dabit quieti, cogitabit sibi fore supremam: quare ita se comparabit pro ratione temporis, tamquam verè moriturus. (Ecce inquiet sibi ipse) hæc tibi hora vltima diei & verò vitæ vniuersæ. Ecce mors tibi inianuis: demigrandum tibi de corporis domicilio, & hac quidem hora, neque tibi concedentur induciæ vsque manè. Quisquis id sibi certò persuaserit, is sanè alio non eget monitore. Tam salutaris cogitatio, impressusque animo metus, eas secum deferret orationes iaculatorias, quæ ei rei & tempori congruant maximè.

Haftenus de iis orationibus quæ ab ipsius horæ

horæ fluxu, cæterisque eodem pertinentibus desumptæ sunt. Et licet cuilibet è dictis horis, sua sit assignata iaculatoria, cuique tamen est integrum, quod vni horæ est tributum, transferre in alteram: Atque iis imprimis quorum degendæ vitæ ratio, manifestè postulat aliqd, vt qui religiosi, noctu Dei canendis laudibus more maiorum insistant.

Et quoniam traditum est ab Astrologis, singulis diei horis, singulos etiam dominari ac præesse planetas, modò Saturnum, modò Iouem, aut aliquem alium de septem non re sed vocabulo errantibus; poterit item Asceta, singulis etiam horis aliquem è Diuorum numero præficere, vel eundem omnibus. Exempli causa, illum cui quidem is dies, Ecclesiæ instituto sacer est id enim parum interest, modò id fructuosè fiat.

Atque extremum illud in hoc genere monito, quod si cui sæpius in ipsa hora ad Deum libebit aspirare, habet is in ea ipsâ horâ quâ sequatur regulam seu mensuram. Quemadmodum enim ex Astrologorum sensu, quavis hora, Æquatoris, seu circuli Æquinoctialis, gradus quindecim emergunt supra horizontem, sic licebit ei horam quamlibet in partes totidem partiri, atque vnicuique gradui, suam adscribere precatiunculam, quam ipsam ne à gradibus abeat, poterit è psalmis gradualibus, quos cantica graduum
vocat

vocat eorum auctor, qui & sunt numero 15. desumere. Canebantur autem ij singuli vt multis placet ad singulos templi gradus, qui erant item 15. tamquam in vmbone & suggestu, atque ideo graduales dicti, vel potius, quod visum est Genebrardo: ij psalmi, sunt preces & consolationes de ascensionibus, siue liberationibus populi Israelitici ab exilio & captiuitate. Quæ quidem typus erant reuersionis nostræ in cœlum, ex hoc longè miserrimo vitæ ergastulo.

Gradus verò quibus eò reditur, hos quidem 15. facit Genebrardus. Primus est afflictio: secundus prospectus ad Deum: tertius lætitia communionis: quartus inuocatio: quintus gratiarum actio: sextus confidentia: septimus patientia & expectatio diuinæ liberationis: octauus Dei gratia & fauor: nonus timor Domini: decimus martyrium: vndecimus peccatorum detestatio: duodecimus humilitas: decimus tertius Christi aduentus desiderium: decimus quartus, concordia & charitas: decimus quintus assidua Dei benedictio. Ex quibus licebit Ascetæ, hora qualibet quindecim ducere preces iaculatorias, iisquæ sese Equatoris instar ab horizonte, atque à terra, humanisquæ rebus sublime ferri, ascensionisque in corde suo in hac valle lachrymarum disponere, itaque de virtute in

virtutem ire, vt videat tandem Deum Deorum in Sion.

Si cuius hęc subtilioris videntur considerationis, ducat is orationes suas à quindécim rosarii mysteriis, quę quidem à gaudio, à dolore & à gloria nūcupantur, in usq; ipsis eximia aliqua aut Christi Domini, aut B. Virginis Marię, virtute menti breuiter proposita, eam ipsam supplex à Deo postulet. Et ne fastidio sit ei in eodem semper versari: habet arcam quę cubitos 15. eleuabatur supra montes, quibus quidem cubitis significatum est (si Ambrosio credimus) mysteria resurrectionis in veteri & nouo testamento contenta superare mentes etiam intelligentium & superbiorum. Habet festum tabernaculorum quod decimo quinto celebrabatur die, quo quidem mysticè, innuitur per septenarium vitę actiue & temporalis, & octonarium contemplatiue ad celestis quietis templum ascendendum. Ex quibus tum vniuersis tum singulis facile est, eadem etiam seruata numeri decimi quinti ratione, varias pro cuiusque affectu & sensu elicere iaculatorias.

Gen. 7.

Epist. 76

Gloss.
interl.

V CAPVT

CAPVT IX.

Alia quadam ratio horaria Orationis ex Christi passione deprompta, quâ singula suis quæque horis in ea gestaredduntur.

QVONIAM ex omnibus, in quibus potest versari oratio, ea est maximè fructuosa, quæ de Christi Domini tum morte (præcipuo utique diuinæ charitatis inuitamento) tum ijs, quæ eò spectant instituitur; visum est seorsum (quantum quidem licuit) quæ ab eo potissimum sub mortis tempus, facta dictaque sunt, quæque ipse perpeffus est, suis vt quæque contigerunt horis reddere. Et quamquam eorum omnium & singulorum non possit definitè distinctèque quâ peracta sunt horâ designari (quæ neque à sacris quidem scriptoribus est notata, contentis eâ ferè per, quasi indicare) id satis erit, vt circiter illud tempus contigisse dicantur. Neque verò distincta determinataque puncti temporis illius cognitio, magnoperè facit ad fructum qui quaritur pietatis ac deuotionis. Bipartitò autem sunt à nobis horæ diuisæ: altera quidem pars ea complectitur mysteria, quæ vel paulò passionem antecessere vel consecuta sunt, vel eius ipsius tempore

pore contigere, certamque ferè habent horam. Altera verò particularibus quibusdam perpeffionibus, nulla, quo contigerunt, temporis habita ratione tribuitur. Et quoniam hoc loco non damus commentarium rerum à Christo gestarum, nemo hìc expectet rationem, cur hoc quidem huic, illud vero tempori alteri adscribam potissimum: isque teneat me in iis vel sacras litteras ipsas, vel probatos earum interpretes, duces sequi ac magistros.

Id etiam erat præmonendum, Iudæorum horas, quas quidem à nostris longè discrepare nemo ignorat, in gratiam pij Ascetæ ad nostras fuisse reuocandas. Inchoabimus autem à vespera quæ passionis antecessit diem.

Itaque à VI. ad VII. feriæ quintæ maioris hebdomadæ, recumbit Iesus cum discipulis suis ad esum Agni paschalis, surgit à cæna, lauat 12. Apostolis pedes.

A VII. ad VIII. corpus & sanguinem dat in cibum & potum, instituit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum ac sacrificium. Apostolos inquit Sacerdotio.

Ab VIII. ad IX. bene longam habet concionem, quâ discipulos tum blandè solatur, tum in fide roborat, iisque ipsos Spiritum sanctum pollicetur.

A IX. ad X. Hymno dicto dat se in viam torrentem Cedron versus, locumque passionis

tionis. De mutua Apostolorum inter se charitate multa differit.

A X. ad XI. In horto Gethsemani orat vt transeat à se hora passionis, si ita quidem fert Dei voluntas, cui se planè subijcit, contristatur, mœret que vsque ad mortem.

Ab XI. ad XII. Post orationem venit ad discipulos, ijsque blandè reprehensit quòd dormirent, refert se iterum ad oratione, excusatque eorum infirmitatem. Inter orandum sanguis copiosè ei fluit è toto corpore, quo in cruciatu & agonia, solatur eum Angelus quispiam è cælo delapsus.

A XII. ad I. In eum iniiciunt manus Iudæorum satellites, arctè vinciunt ne diffugiat, à discipulis deseritur.

A I. ad II. ad Annam ducitur, vbi multis interrogatur de discipulis & de doctrina sua, ibique impactus ei colaphus.

A II. ad III. Ab Anna ad Caypham raptatur, varij in eum producuntur falsi testes, pronuntiatur que reus mortis.

A III. ad IV. Illuditur à viris qui tenebāt illum, cæditur, facies ei velatur, percutitur, irrisoriè interrogatur vt prophetizet quis eum percusserit.

A IV. ad V. Eadè ferè patitur qua hora superiore, quibus accessit Petri negatio, quæ quidè Christi Domino lōgè acerbissima accidit.

A V. ad VI. Iterum concilium cogitur à
 pri-

principibus sacerdotum aduersus Iesum, constituunt eum tradere Pilato.

A VI. ad VII. Apud eum falsò accusatur. Varia ab eo quærit præses, quibus nihil responder.

A VII. ad VIII. Mittitur à Pilato ad Herodem, à quo illusus veste albâ induitur.

Ab VIII. ad IX. Examinatur iterum à Pilato, à quo, licet in eo nulla inuenta mortis causa, post habetur tamen Barabbæ seditioso & homicidâ.

A IX. ad X. Exiit vestibus suis, direque flagellatur.

A X. ad XI. Corona spinea redimitur; varièque illuditur & affligitur. Producitur à Pilato in conspectum populi his verbis; *Ece homo*, vt conspecto eo tam immaniter dilaniato, hac satiaretur pœnâ, at postulat illum ad crucem.

Ab XI. ad XII. Pilatus tandem fert in eum crucis sententiam, quam & ipse suis baiulat humeris ad locû supplicii extra Hierusalem.

A XII. ad I. In medio latronû duorû crucifigitur, milites inter se ipsi vestes eius partiuntur, fiunt tenebra super terrâ vniuersam. Patrem orat, vt iis qui se crucifixerât, dimittat.

A I. ad II. Latroni pœnitenti paradisum eo ipso die pollicetur. Virgini matri, dilectum sibi discipulum, atque huic illam vicissim commendat.

A II. ad III. Queritur se à patre derelictum. Sitim suam declarat, acetoque potatur.

A III. ad IV. Palam edicit ea omnia à se consummata perfectaque ob quæ in mundum venerat, atque spiritu suo in patris manus commendato, eum emittit. Fit terræ motus: velum templi scinditur in duas partes à summo vsque deorsum. petra scinduntur, monumenta aperiuntur, multa corpora sanctorum qui dormierant, surgunt.

A IV. ad V. Impius miles lancea latus ei aperit, vnde manat sanguis & aqua. Centurio eum fatetur Dei filium. Redit turba à monte Caluarie Hierusalem, percutiens pectora sua. Ioseph adito Pilato petit & impetrat corpus Iesu.

A V. ad VI. Ioseph vnà cum Nicodemo illud de cruce deponit, inuoluit Sindone, atque sepelit aromatibus conditum. Atque hæc de iis mysteriis passionis, quibus staræ ferè, certèque possunt horæ tribui; sequitur vt ad varietatem (quæ quidem actionem languere non sinit) & ad frequentius Christi Domini cruciatus grato animo recolendos, in quibus & vita, salus & resurrectio nostra, rationem alteram eos ipsos memorandi proponamus.

CAPVT X.

*De particularibus Christi'perpeſſionibus
ad horarias aſpirationes accommodatis.*

CVM Christi Domini Seruatoris latiffi-
mè pateant cruciatus, ſiquidem nihil
illi in ratione doloris deſuiſſe traditur à ſa-
cris doctoribus, viſum eſt, nō ipſos quidem
vniuerſos, quoniam infiniti ſunt, partiri (vo-
luntate magis quàm certa ratione) in horas
ſingulas, factò ab iis initio qui interiora magis
ſpectant. Itaque vt à meridie inchoemus.

D. Th.
3. p. 4.
46. a. 5.

Hora XII. cogitabit Aſceta, quantum paſ-
ſus animo ſit Chriſtus Dominus, tædio, ti-
more, triſtitia & dolore: dolebat autem ve-
hementiffimè, primùm de peccatis totius
humani generis, quæ vniuerſa erat paſſione
ſua expiaturus, eorumq; pœnas exoluturus;
disciplina enim pacis noſtræ ſuper eū, eiuf-
que liuore ſumus ſanati: hinc factum vt ea
ſibi ipſe quali aſcriberet, iuxta illud Dauidis:
longè à ſalutē mea verba delictorum meo-
rum. Exceſſit autem hic Chriſti dolor, dolo-
rem omnem cuiuſcumque contriti, quan-
doquidem & ex lumine maiori, charitateq;
proficiſcebatur, & de mortalium vniuerſo-
rum dolebat peccatis, iuxta illud Iſaiæ. Verè

Pſal. 21,

cap. 52

V 4 dolo-

dolores nostros ipse portauit, & languores nostros ipse tulit.

Hora I. Cogita huic eidem dedisse dolori causam; incredulitatem casumque delicti sibi populi gentisque suæ, aliorumque; qui morte eius scandalum passi, ipsius deseruere signa, potissimumque discipulorum, quos tam arcto semper erat amore complexus.

Hora II. Ad hæc doluit etiam de iactura vitæ suæ & de morte, quam quidem fortissimus quisque, naturæ instinctu reformidat. Fuit autem Christi Domini tam digna vita, tantique pretij, maximè ob diuinitatis coniunctionem, ut de ea vel ad horam tantum amissa multò esset dolendum acerbius, quam si periret orbis vn̄uersus. Quantum te igitur amauit, qui causâ tuâ rei tam præstantis passus est dispendium: quod idem tibi reuocat ipsemet in memoriam. Dedi (inquit)

Hier. 12. dilectam animam meam in manibus inimicorum eius.

Hora III. Cogita nullum Christi tui sensum dolorum expertem fuisse. Ac primùm quidem quàm ei fuerit acerbum matrem intueri, quam quidem tenerrimè diligebat, ut & discipulum virginem, flentes iuxta crucem. Pias item mulieres quasdam, eius vestigia ad supplicij locum consectantes.

Hora IV. Quibus potuit excipere auribus irrisiones, sannas, blasphemias, maledicta, impias

impias voces hostium suorum, quos quidem in omni vita sua tot beneficijs cumularat.

Hora V. Quàm fuerit ei grauis fœtor cadaverum, quorum Caluariæ mons plenus erat. Sed quàm multò tulerit grauiùs fœtorem peccatorum, qui quidem à fœtentibus Iudæorum animis efflabatur.

Hora VI. Perpendes amaritudinem tum vini myrrhati, tum fellis & aceti, quibus sub mortem potatus.

Hora VII. Quomodo à planta pedis vsque ad verticem capitis laniato & excarnificato, nullus omnino, sensui tactus reliquus fuerit locus dolore vacans.

Hora VIII. Cogitabis quàm fuerit vniuersalis omnium ordinum, omnisque generis hominum in Christum conspiratio, siquidem passus est à Iudæis atque ethnicis. A maribus & fœminis, quod patet ex ancillis, quarum occasione Petrus ab eo defecit.

Hora IX. A principibus & à vulgo iuxta illud. Quare fremuerunt gentes & populi ^{psal. 76.} meditati sunt inania? A familiaribus & notis, ab impio Iuda eum prodente, à Petro cæterisque eum deserentibus.

Hora X. Cogitabis nihil esse in quo non sit passus factâ collectione eorum omnium in quibus soliti sunt homines pati: ac primum quidem in amicis: qui cùm ei adhererent antea, ab eo sub mortem defecerunt.

Hora XI. Tum in fama per detractiones.

Hora XII. In honore per conuicia, eiluce palàm præsentique irrogata.

Hora I. In rebus, quia pauculis etiam ijsque vilibus est per summam impietatem vestibus spoliatus.

Hora II. In anima per tristitiam & timorem, quod quamquam est superius dictum, numquam neque dici neque cogitari potest satis.

Hora III. In corpore, quod vniuersum, vt alios taceam cruciatus, flagellis discissum dilaceratumque fuit.

Hora IV. Et deinceps cogita sigillatim Christi Domini vulnera, quamque ei fuerit acerba id generis mors, quippe cui partes illæ quæ neruis abundant maximè, atque ob hanc ipsam causam acutissimè sentiunt, confixæ sunt, manus: scilicet & pedes. Tum ipsum pendentis eius è cruce corporis, tribusque dumtaxat fulti clauis pondus, deorsum versus tendens, continuo dolorè acuebat. Accedebat denique doloris diuturnitas, id est lentæ mortis eiusque immanissimæ cruciatus longus, neque enim conficitur statim, cruce confixi. Tu mente ingredere in hæc vulnera, ea numquam relicturus, puta tibi dictum illud; sponsa mea in foraminibus petræ; in cauerna maceræ. & illud prophetæ; Ingredere in petram & abscondere

dere in fossa humo à facie timoris Domini, ^{Iſa. 2. 10.}
& à gloria maiestatis eius. Erinaceus es spinis
que peccatorum horridus & aculeatus, atque
petra refugium erinaceis. Principiò quidem
occurrat dexteræ vulnus, in quod ingressus
cogitatione postulabis vt & sanguine qui
inde manat, sordes tuas, eluat, & vt in
prosperis ne insolescas.

Hora V. Vulnus leuæ ingressus, vsurpabis
illud Davidis, Asperges me Domine hyssopo
& mundabor, lauabis me & super niuem
dealbabor: petesque vt in aduersis rebus ne
animo concidas.

Hora VI. Pede dextro absconsus à facie
iræ furoris Domini, postulabis vt affectus
tuos omnes (quorum quidem pedes symbolum
existunt) ita regat modereturque, vt rationi,
diuinæque legi perpetuò se præstent
obsequentes.

Hora VII. Pedis sinistri apertura hiatuque
receptus enixè postulabis perseuerantiam in
via mandatorum Dei, vt nihil te ab ea decurrenda,
percurrendaque ad extremum vsque vitæ
spiritum, quouis modo impedire valeat.

Hora VIII. Ingredieris vastam illam
maceriæ cauernam Christi, inquam, perfossum
latus, vnde tibi ad cor eius amore tui estuans
patet aditus. Ibi ea loqueris, quæ spiritus
suggeret: efflagitabisque vt te feruentissimo
amoris

amoris sui igne ita incendat, vt aliud nihil præter ignem spirare videaris.

Ad singula etiam hæc vulnera quinque, pete vt te secum pariter vulneret & configat, nec velle te viuere sine vulnere, ipso tam dirè vulnerato: futurum alioqui, hoc maximum tibi vulnus, si sine vulnere viuere contingat. Et quemadmodum tribus ipse clavis cruci est confixus, non illis quidem ferreis tantum, sed multò magis clavis amoris, obedientiæ, atque zeli animarum, nihil enim sine his potuissent illi, sic & se tribus hisce configat vehementer ac profundè, vt & tu cum Apostolo gloriari possis ac prædicare. Christo confixus sum cruci: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.

Hora IX. Cogita nullum vnquam ita doluisse vehementer atque Christum Dominum, seu corpus eius, seu animum spectemus: Ac corpus quidem perfectissimâ erat constitutione, vtpote sancti Spiritus operâ fabricatum, eòque factum vt in eo vigeret maximè sensus tactus, ex cuius perceptione consequitur dolor. Ipsius verò animus perfectissimè complectebatur causas tristiæ omnes & singulas: quas superius attigimus.

Id facit etiam ad magnitudinem dolorum Christi, quod eos sponte suâ susceperit ob hunc finem, vt scilicet mortales à peccati liberatos tyrannide, in veram liberta-

tena

tem assereret. Eò factum vt eam assumpserit doloris mensuram (si immenso dolori mensura est vlla) quæ consequentem inde fructum, qui quidem fuit infinitus, exæquare posset.

Hora X. Perpende quàm puri fuerint Christi dolores, omnisque omnino consolationis expertes. Siquidem in cæteris hominibus mitigatur dolor tum interior tum exterior, rationis vi & cogitatione, quod quidem perficitur quadam redundantia & deriuatione à superioribus animi viribus ad inferiores: quod sanè in Christo locum non habuit, quippe qui, vnicuique facultati id permiserit agere, quod cuiusque naturæ consentaneum est: vt præclare Damascenus.

l. 3. c. 15.
fid.
Orth.

Hora XI. Et vltima. Cogita immensam eius charitatem, quâ effectum, vt licet minimo suo dolore, (imò ne dolore quidem, at aliqua animi sui actione summa cum voluptate coniuncta) potuerit humanum genus vniuersum redimere; voluerit tamen tot tamque immensos ac diuturnos tum animâ tum corpore toto perferre dolores, vt verè vir dolorum & sciens infirmitatis à quodam propheta dictus sit.

Atqui hæc de Christi passione in horas distributa voluntate potius quàm certo iudicio: quare cuiuslibet licebit, si ita visum fuerit, quæ
vni

vni data sunt horæ, accommodare ad alteram. Cui hæc non sunt satis, addat etiam passionis circumstantias, consideretq; quis patiatur, quid & quantum, quâ patientiâ, animiq; fortitudine, quamobrem, pro quibus, & cætera generis eiusdem. Poterit etiam Christum sibi proponere cruci affixum, modo Sacerdotis fungentem officio, seque ipsum æterno patri acceptissimum holocaustum immolantem: modò doctoris, è regia illa cathedra non verbo at re virtutem omnem perdocentis; aliàs iudicis pœnitentem latronem remunerantis, impium verò æternæ morti addicentis.

Tandem ad varietatem cogitabit quàm perfectè capitalia vitia septē pro contrariis exhibitis virtutibus, in cruce expiarit, vt profunda sua humilitate peruicacem mortalium superbiam: Atque sic de cæteris. Iaculatorias autem, quæ tum ex iuperiore, tum ex hoc capite formari possunt, eò non formauimus, tum quòd cuiq; proprius quasi fœtus gratior accidet quàm alienus, tum quod cuius perfacilè fuerit eas ipsas formare.

CAPVT XI.

Vita Christi Domini horarijs aspirationibus aptata.

CHRISTI Seruatoris vitam, absolutissimum perfectionis omnis exemplar, mundi que lucem ac solem, si in horas singulas, quoad eius fieri possit, esse partitus, pretium me facturum operæ existimabam. Atque utinam constaret quâ definitè horâ, præstantes ab eo prodierè exteriores actiones tum demissionis animi, tum charitatis, tum mortificationis, tum virtutum cæterarum (ab inferioribus enim nullo umquam cessabat tempore) verùm quâquam id plurimum ignoretur, poterit Asceta ad libitum, virtutes eius singulas, horis addicere singulis, atque ex iis ipsis iaculatorias suas ducere. Quas tamen eius sacras actiones habemus aut à sacris Scriptoribus aut interpretibus certo temporallegatas eas hic diuisione horarum ut superius facta subiiciemus. Quibus quidem, penuriâ eorum quæ ab ipso Christo ea etiam inferentur, quæ ab aliis gesta, (quippe quæ ad ipsum referantur) sacrae litteræ commemorant. Inchoabimus autem à media nocte.

Hora igitur XII. nascitur Christus, cum
nouem

nouem ante mensibus, eadem hora esset conceptus de Spiritu sancto, ex purissimo atque immaculato virginis Matris sanguine. Deus fit homo, homo vicissim fit Deus. Media nocte venit sponsus.

Matth.
25.6.

Horis I. II. III. Quia nihil determinatè occurrit assignandum, cogitandum quam frequenter noctu orauerit, quomodo item nocte fugerit in Ægyptum, quomodo Magi eodem tempore se itineri commiserè, quomodo Nicodemus ad Iesum venit nocte primùm.

Soarez
3.P.

Hora IV. Aut circiter, resurrexit Christus Dominus ab inferis, quâ eadem horâ veniet ad iudicandum orbem terrarum, fietque generalis resurrectio. Ambulat supra mare.

Ioan. 21.

Hora V. Apparet matri post resurrectionem. Piæ mulieres adeunt ad monumētum.

Hora VI. Apparet aliquot discipulis vna piscantibus postquam resurrexit.

Matth.
20.

Hora VII. Conducuntur operarij atque in vineam mittuntur.

Hora VIII. Sæpius docet tum in templo, tum in synagogis.

Hora IX. Iterum conducuntur operarij. Descendit Spiritus sanctus in Apostolos specie ignitarum linguarum.

Hora X. Iterum docet & loquitur de regno Dei, variisq; modis ad se pertrahere conatur obstinatos Iudæorum animos.

Hora

Hora XI. Id ipsum facere cogitandum est, quia notiora non suppetunt: Certum enim est triennij spatio eum, qui omnem captabat occasionem euangelizandi regni Dei, id horis hisce matutinis potissimum, praestitisse frequenter.

Hora XII. Ascendit in caelum. Cum Samaritana fuse colloquitur, ei que promittit aquam viuam.

Hora I. B. Petrum vniuersae praeficit Ecclesiae. Sanat filium reguli.

Hora II. Apparet discipulis euntibus in Emaus.

Hora III. Conducuntur operarij. Petrus & Ioannes ascendunt in templum orandi causa. Sanatur claudus. Centurioni apparet Angelus, orationesque eius atque eleemosynas dicit ascendisse ad Deum.

Hora IV. Andreas Christum primum adit.

Hora V. Apparet discipulis omnibus, ipso die resurrectionis pacem precatur, facit eis potestatem remittendi peccata. Octiduo post iterum eadem hora apparet iis, praesente Thoma.

Hora VI. & consequentibus vix quidquam occurrit; quia cum ad occasum vergat, subducebat se Christus ab hominum consuetudine, atque plurimum noctes ipsas orando absolvebat. Quod ipsum licebit Ascete considerare.

X

siderare

siderare, atque ex his, tum ex superius dictis
 suas ducere aspirationes, quod quidem fa-
 ciet modò quid petendo, modò gratias a-
 gendo, aliàs dolore peccator, alias spe, fide
 & charitate in Deum, alijsque modis prout
 vnctio docebit.

1. Ioan.
 2.27.

C A P V T XII.

*Nonnulla alia rationes in horas singulas
 aspirandi compendiò traditæ.*

Vrsvm est superioribus addere etiã ista,
 quòd tam sunt diuersæ mortalium af-
 fectiones sensus, & gustus, quàm cõstitutio-
 nes corporum, quæ quidem propemodum
 infinitæ, eruntque fortasse ij qui cum nullis
 è superius positis aspirationibus, his vtique
 capiantur.

Quàm maximè pia est iuxtà ac vtilissima,
 frequens Augustissimi nominis IESV vsurpa-
 tio, quam licebit Ascetæ in horas parti-
 earum cuilibet assignato vno aliquo de cla-
 rioribus eius epithetis, exempli causa: prin-
 ceptus pacis, admirabilis, pater futuri sæculi,
 Emmanuël, brachium patris, &c. è sacris de-
 prompta litteris: quorum singulis, addito
 sacratissimo nomine hac aut simili ratione
 aspirabit. Iesu brachium patris miserere mei.
 Aut roborate me, confortate me: id nimirum po-
 stulando quod cuique epitheto consenta-
 neum

neum est, quodque eo significatur.

Et quoniam admodum Deo grata accidit pietas & fides, quæ Christo exhibentur, sacratissimâ contento Eucharistiâ, equidem arbitror maximè esse salutare eas precatiûculas horarias, quæ in eo genere versantur. Christum itaque Seruatorem verè & reipsa in diuinissimo Altaris Sacramento existentem, horis compellat singulis Asceta vnâ aliquâ adhibitâ aspiratione de iis, quas in eius litanis vsurpat Ecclesia, verbi causa: Frumentum electorum. Vinum germinans virgines miserere mei: Difficile est eloqui quantum inde tum meritorum, tum spiritualis oblectationis colligatur: de quo quidem memini aliquid dictum 1. libro.

Quod si diè lubet in horas dumtaxat duodecim partiri, habet Asceta lignû illud vitæ ^{c.22.2.} ex Apoc. quod in medio sitû paradisi affert fructus duodecim. Expressissima sanæ Eucharistiæ nostræ figura, quæ quidè in medio sita Ecclesiæ vitâ dignè sumētibus cōfert immortalē, fructibusque eos ipsos recreat duodecim, quos quidè nō ineptè dixeris esse fructus duodecim Sp. sancti ab Apostolo alibi recensitos, è quibus vnus postulatione, fructuosè auspicabitur cuiusq; horæ actiones.

D.Th.1.
2. q 70.
art.3.
Gal.5.

Iam verò quod dictum de sacratissimo Iesus nomine, sanctissimâque Eucharistia, idem aliàs præstabit Asceta in dulcissimo

X 2

Mariæ

Mariæ nomine, in horas singulas deuotissime illud appellando, addito aliquo eius elogio ex sacris item litteris, quod quidem ex eius litaniis, quæ passim in manibus sunt, fuerit facillimum.

C. 12.

Bern.
Serm.
Sign.
magn.

Quod si ut de augustissima dictum est Eucharistia, lubet item in appellanda Beata Virgine horas dumtaxat duodecim diei assignare, meminerit mulieris illius Apocalyplicæ sole amictæ, in cuius capite radiabat corona stellarum duodecim, quâ quidem muliere designatam Deiparam non ignobiles tradunt auctores: cumque indicentur hisce stellis tum virtutes quibus excelluit potissimum, tum gloriæ præmia eis ex æquo respondentia: eas ipsas virtutes, sua cuiuslibet horæ attributa, enixè à Deo per virginis merita postulabit. Sunt autem hæ, fides & spes patriarcharum, lumen ac contemplatio prophetarum, incensa charitas zelusque Apostolorum, martyrum fortitudo, confessorum pœnitentia ac patientia, doctorum discretio sapientiæque: puritas sacerdotum, solitudo & oratio heremitarum, paupertas, obedientiæque monachorum, castitas virginum, humilitas viduarum, concordia fidesque coniugum.

Si cui placet virginis priuilegia his ipsis adumbrata stellis duodecim, contemplari; ea quidem sic habeat ex Bernardo. Mihi
sanè

sanè (inquit) singularis rutilat fulgor: primò in Mariæ generatione: secundò in Angelica visitatione: tertio in Spiritus superuentione: quartò in filij Dei inenarrabili conceptione. sic & in his quoque sidereum planè irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauiamine grauida, quod sine dolore puerpera: nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, & martyrium cordis. Hæc Bernardus.

Beatæ porrò Virginis cultum excipiat subinde Sanctorum Angelorum veneratio, horasque diei viginti quatuor tribuat totidem Angelis, qui quidem numerus conficiatur ex duodecim quibus credita portarum duodecim cœlestis Hierusalem custodia, tum ex iis septem qui diuinæ continenter assistunt maiestati. Insuper ex sanctis Michaële, Gabriële, Raphaële, Angeloque tutelari, illo denique qui sacrosancto corporis & sanguinis Christi sacrificio offerendo præest. Et quamquam fortè de his nonnulli hisce ordinibus ac diuisione bis contineantur, itaque vnus atque idem inuocaretur iterum, id quidem nihil refert, cum fiat alià atque alià ratione & consideratione.

Apoc.
21.12.

Ecclesia
in Canon.

Tandem ne suus desit sanctis cultus, sug-

X 3

geris

c.4. gerit sacra Apocal. 24. seniores, è quibus vnum aliquem horis singulis Asceta appellet; qui quidem sunt maximè illustres sancti & heroës tum veteris tum nouæ legis. Nimirum Apostoli 12. pro noua, pro vetere autem hi aut similes. Abel Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Moyfes Samuel, Dauid, Isaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel.

P. Pererius.

CAPVT XIII.

Alia quedam ratio horaria aspirationis longè facillima, quæq; non tam oratione quàm actione perficitur.

EA triplici continetur capite; Vnum est sui aspersio aqua benedicta: alterũ tun-
sio pectoris, tertiu reuerentia, cultusq; sacris rebus exhibitus. Ac de prima quidẽ com-
nis est Theologorũ sensus, eã aspersione pec-
cata remittive nialia (vt sileã de aliis eius effe-
ctis admirandis sanè in dæmones, eorumq;
prestigias & dolos, in pellẽdis morbis aliisq;
similibus) quod quidẽ satis liquet ex S. Ale-
xandri Papæ constitutione. Aquam (inquit)
sale conspersam populis benedicimus, vt ea
cuncti aspersi sanctificentur & purificentur.
Nam si cinis vitulæ populũ sanctificabat at-
que mundabat, multò magis aqua sale con-
spersa, diuinisq; precibus sacra populum
sanctificat atque mundat. Vbi quidẽ notatu
digna

e. Aquã,
de cõse-
cratione

digna sunt verba purificandi, mundandi, & sanctificandi, quibus utriusque, inferior tum puritas tum sanctitas significantur, maxime cum huiusce vsus aquæ, multò cineris vitulæ aspersioni præstare velit, quæ sanè corporibus exteriorem quandam munditiam, legalemque afferebat.

Quemadmodum autem id efficiat hæc aqua; ita quidem explicat D. Thomas. Ad remissionem (inquit) venialis peccati nõ requiritur nouæ gratiæ infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quâ aliquis detestetur peccatũ veniale vel expressè vel saltem implicite: sicuti cum quis, feruenter mouetur in Deum: & ideo triplici ratione, aliqua causant remissionem venialium. Tertia quidem ratio, quæ sola ad rem nostram facit, est in quantum ea sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum & ad res diuinas, & hoc modo (inquit) aspersio aquæ benedictæ operatur ad remissionem venialium.

Quæret fortasse quispiã utrum ad id ipsum sit necessaria deuotio & reuerentia reipsa exhibita; an verò satis sit habitualis. Credo equidem, vt in alijs plerisque, sufficere posteriorem, vt scilicet aspersio illa proficiscatur ab habitu reuerentiæ & deuotionis, quamquam tum actu & re absit vtraque: Quæ quidem habitualis deuotio, complectitur etiam implicitã detestationem

✠ 4 venia-

Mar-
lius Ar-
chiepis
Saler-
nitanus
affert
auctores
p. 295.
&c.

venialium, licet de ea ipsa nihil cogitet qui se aspergit, aut ab alio aspergitur. Negari tamen non potest inquit Reuerendissimus Marfilius, tutius esse atque melius, actu tum reuerentiam, tum deuotionem exhibere, quodque ea fuerit maior, perfectius etiam delenda peccata, maiorisque gratiae fore accessionem.

In sua
Hydra-
giolo-
gia.

Ad 2.
argum.

Tanta autem est huius vis aquae in haec venialia, ut ea vniuersa, quantum quidem in ea est, delet, nisi forte, ut traditur à S. Thoma, impediatur remissio quantum ad aliqua venialia, quibus mens actualiter inhaeret, sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi. Neque verò sola peccati venialis culpa, offensioque omnis hac asperzione, verum etiam pars nonnulla poenae tollitur, pro mensura tum charitatis aduersus Deum, tum detestationis illius ipsius peccati, quae quidem pia animi motiones, eadem asperzione, alias magis, alias minus excitantur.

S. Th. ad
3.

Ex his conficitur, cum tot pariat fructus, tamque eximios, ac potissimum leuiore abstergat maculas, aquae lultralis asperio, eam verò Ascetae in horas singulas atque adeo saepius, reuerenter, pieque vsurpandam, si ita quidem res feret & sit domi. Quod sane eò cuique cura maiore, diligentiaque praestandum videtur, quod frequentius in animum
irre-

irrepunt leuiores hæc, atque vix cogitantem inquinant, cum non septies tantum in die; sed in hora etiam cadat iustus. Quid enim homini procliuius, quam leuiores hisce corripere, quandoquidem non verbum otiosum modo, aut actio, at vel otiosa cogitatio (quæ quid quæso leuius?) veniabilis peccati offensionem, pœnamque contineat?

At hæc leuiores sint, dixerit quis, vt ea magnoperè sint curanda. Tunc leuia dicis ea, quibus sensim disponatur animus ad grauiora, & ad diuinam amicitiam labefactandam omnino? An ignoras paulatim decidere eum qui spernit modica? Nescis ab aquis excuari lapides ipsos, alluioneque terram consumi paulatim? Certè leue nequaquam dicendum, adeòque negligendum, quo charitatis minuitur feruor, quo fit mens languidior, minusque Deo obsequens, ad omnemque eius nutum voluntatisque significationem parata. Quis denique leue id sit, quod tam acerbis tamque diuturnis purgantis ignis doloribus, suppliciiisque vindicatur?

Et quamquam horaria hæc asperio conueniat omnibus, ea tamen videtur infirmis vsurpanda potissimum; quippe quos non patitur inualetudo mentem orando exercere, quod ipsum monuit prudenter Ioannes discipulus quodam sermone. Atque id quidem vniuersis eò actirandum crebrius, quò

X 5 istud

Eccli.
18.

Iob. 14.
19.

110. lit.
tera R.

Vide
Marfilii
suppe-
rius.

istud videre est pietatis exercitium, impudentius, impietateque maiore, ab huius æui sectariis exhibitari, explodi que. Exhibilandi potius ipsi explodendique, qui pro suo arbitrio, nullaque iusta aut probabili causa, maiorum suorum statuta conuellunt, atque arrogat, quorum quidem impudentiam dixerim an insaniam, infinita propè miracula aquæ huius virtute iam inde à B. Petro, ad usque hoc æuum, variis locis pattata, reuincunt fortiter atque condemnant.

Alterum propositum erat tunsio peçtoris, quâ quoniam nihil facilius, ea certè horariis aspirationibus aptissima fuerit, atque ægis imprimis adhibenda, cuius quidem vi censest D. Thomas, abstergi leuiore maculas, quandoquidem ea fiat cum aliquo motu detestationis peccatorum, eiusque rei non obscuram det significationem. Atque etiam ea tunsio, ab Ecclesia vsurpatur creberrimè, tum inter sacrificandum, tum in Ecclesiastico officio, solemnibusque ac statis precibus.

lib. de
oratio-
ne.

Eiusdem etiam meminere Tertullianus ac B. Cyprianus, cuius quidem hæc est oratio. Ut etiam in precationibus aliquando suum quis pugno tundat peçtus, publicani à Christo adeò commendati probat exemplum quo signo, animi pœnitudinem declarari; factò illorum qui post Christi passionem reuertebantur percutientes peçtora sua, signi-

Luc 23.

significatur. Quod idem & Nicolaus Romanus Pontifex ad consultationes Bulgarorum rescribens, docet his verbis: Pectus percutimus, significantes videlicet quod nequiter gessimus, displicere nobis; & ideo antequam Dominus feriat, & antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentiâ dignâ punire.

Reuerentia cultusque sacrarum imaginum ac præsertim Christi crucifixi, ac B.V.M. reliquiarum item, Agnorum Dei (id enim erat tertium propositum) rerumque eius generis, magnam habet utique Christianæ pietatis significationem, Deoque imprimis accepta, opinorque eò frequentandum magis, quò facilius est, minusque operosa.

Ita Asceta, ac potissimum si ob inualetudinem aliud non liceat, creberrimè, quantoque poterit maximo animi sensu ac pietate, imprimet maiorum more, oscula rebus superius commemoratis, deuotè ac piè eas ipsas intuebitur: capitis apertione, inclinatione, genuflexione (si ferant vires) ipsas venerabitur, frondibus, floribusque decorabit, omni denique colet officio. Sunt enim hæc obsequiola religionis (quæ inter morum virtutes principatum tenet) exercitationes, quæ quidem tum Deo ipsi, tum Diuis non iniucundæ accidunt.

Et quamquam ob capitis imbecillitatem
nihil

nihil oret Asceta, nihil refert: hæc enim ipsa, sunt oratio quædã, tacitãque sui Deo commendatio, eò forrasse oratione validior, quò sunt fortiora, atque ad impetrandum efficaciora opera; resque ipsa quàm verba. De B. quidem Aloysio (vt de aliis sileam) hæc accepimus. *Supremã suã inualetudine (ait vitæ eius scriptor) poscebat nonnumquam vestem, lectòque egressus pedetentim ad mensam in qua erat Christi crucifixi imago adrepebat, eamque complexus osculabatur: quod item imagini D. Catharinæ Senensis & aliorum Diuorum, quibus cubiculum cinctum erat, factitabat. Cuidam verò è valetudinarijs dicenti non esse quod è lecto surgeret, se crucifixi, cæteraque simulachra ad lectum allaturum: Atqui (inquit B. Aloysius) hæc sunt meæ stationes. Eum igitur morem tantisper tenuit, dum se lecto potuit mouere. Hactenus historicus. Atque hæc tum de horariis aspirationibus, tum de earum praxi atque vsu, dicta sint. Sequitur vt eorum ponderemus siue rationes, siue prætextus inaneque titulos, quibus se hisce minus teneri, iure vt illis quidem videtur, ac meritò persuadent.*

1.2.c.9.

CAPVT

CAPVT XIV.

*Responsio ad eos, qui quominus id præsent,
occupationes suas causantur, tempo-
risq; dispendium.*

GRAVIS est querimonia S. Gregorij Nysseni, orationis studium postponi rebus omnibus, nihilque minus mortalibus curæ esse, quàm cum Deo colloqui, aliis nimirum studiis implicatis. Negotiationi, inquit, diluculo institor incumbit, merces suas ementibus ante cæteros eundem quæstum exercentes exhibere contendens, vt præuentis aliis, desiderantis emere necessitatem præoccupet & suum vendat. Similiter etiam emptor dum prouidet, ne ab alio præuentus frustra requirat id quo opus habet, non ad orationis, sed ad venditionis locum, forum videlicet rerum venalium currit. Atque omnibus pari lucri cupididine captis, proximum præuenire contendentibus, per aliarum rerum studia surripitur tempus orationis ad negotiationem translatum. Ita artifex & operarius, ita qui dicendi studium sectatur, litterisq; ac disciplinis liberalibus operam dat, ita litigator, ita cui iudicandi munus obuenit, quisque in id quodin mani-
bus

Lib. de
oratio-
ne.

bus habet studio totus incumbens obliuiscitur operam dare orationi, damnosum ad rem propositam sibi ducens, si circa Deum occupatus sit: nam qui artem quidem exercet, inutilem quandam, & inefficacem rem ad propositum opus, diuinum auxilium esse purat: idcirco dimissâ oratione in manibus spem ponit, oblitus interim eius qui manus dedit.]

Hæc & alia plura grauissimè in eandem sententiam Nyssenus, quibus planè arguuntur tum incitiâ, tum impietatis, qui per causam negotiorû ne ea ipsa, breuissimâ quiete interrumpant, ab orando desistunt. Atque intelligant illi quidem seridè que perpendât, plus efficacitatis orationi inesse ad fœlicem rerum quas tractant exitum, quàm omni humanæ industriæ ingiq; ad eas ipsas applicationi animi. Cum oratione iaculatoria diuinum exoretur auxilium, sine quo labores omnes nostros inanes, atque irritos esse necesse sit. Præclarè Nyssenus. Quicumque, inquit, animum ad aliquod negotium adiecit, si cum oratione quodlibet agat, prospere atque fœlici successu negotiorum à peccando abducetur, nullo aduersario animam ad vitium trahente.

Sed quæ tandem ita seria negotia, quæ tã graues te occupationes distinent, vt ab iis vel minimum quod des orationi suffurari nequeas?

nequeas? An fortè tibi regni, atque adeò vniuersi administratio incumbit? at Carolus V. sempiternâ dignus gloriâ, licet orbis totius molem negotiorum humeris suis (verus Athlas) calamitosissimis etiam temporibus sustineret nò modò frequenter ad Deũ aspirabat (quod hîc suademus) verùm etiam meliorem diei partem orando consumebat.

Audiamus quid de eius pietate non ignobilis historicus. Quotidie suas manè horas canonicas (vt vocant) legebat, easq; tantum extendebat, vt bis tantum ferè quantum Presbyteri semper manè legeret: Insuper tres quartas horæ partes genu flexo orabat manè. In omni vita sacrum semper audiuit, præterquam in bello Africano semel. A cœna semper redibat ad longissimas preces suas, quæ duarum plerùmque erant horarũ, sicut & matutine, neque enim suis viribus fidebat potentissimus Princeps, sed totus à summi numinis ope auxiliòque pendebat, quod sibi præcibus tam longis quotidie conciliare studebat.

Laurentius Surius ad an. 1559.

Et hinc tanta in rebus gerendis fœlicitas (vide quemadmodum promouet negotia oratio, non disturbat) tam insignes victoriæ, adeò vt ob multa fortissimè gesta Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Dauidi, Siculi Africano, Hispani Alexandro Magno, Turcæ Iulio Cæsari, Afri Hannibali

com-

compararint. Multi cùm aduertissent eum domi & militiæ æquè continuum & prolixum esse in precibus suis, dicere solebant: Carolus sapiùs cum Deo quàm cum hominibus loquitur. In singulas bellorum expeditiones, nouas sibi preces ipse & componebat, & suâ manu conscribebat, quæ prolixitate ferè æquarent septem illos psalmos vsitatissimos, easque priùs examinandas dabat suis Confessarijs, & ab eis approbatas quotidie etiam in agmine acie dicebat: nonnumquam per speciem exonerandæ vesicæ aut alui ab agmine secedens vt prolixius & feruentius orâret.] Hæc historicus.

Quæ sanè si à te æquâ lance expendantur, comperies quidem nullû ei tempus, nullum ita graue negotium obstitisse, quominus staret & quidem bene longas preces persolueret, non obsidionem urbium, non hostium incursum, non virorum Principum aduentum, non æneorum tormentorum crebra tonitrua horrendumque fragorem, non tot terrâ mariq; itinera, non vitæ pericula adita, eum vllo vnquam tempore à penso orationis persoluendo, prolixèq; orâdo auertisse.

Tu non poteris priuatus homo, quod perfecit is, cuius cura sapientiâque innixa recumbebat Christiana Resp. vniuersa? Nec volo te id posse, multò exigo minora: ipse quippe horas integras Deo dicabat, tu mihi, immò

immò Deo aliquot horarum momenta ausus es denegare? Res est ea quidem probri pudorisque plenissima, si modò quis non planè depuduit. Verùm præstat nos Chrysofostomum idipsum Dauidis exemplo Christianis exprobrantem audire. Si beatus (inquit) Dauid cùm rex esset, & innumeris immerfus curis, & vndique distractus, septies in die Dominum rogabat: quam nos veniam habebimus & excusationem, tantùm habentes otii, nec ipsi cōtinuo supplicantes, & hæc cum tantùm lucri capere debeamus?

Homil.
79. ad
populū.

At fit, inquires, iactura temporis frequenti illâ interruptione occupationum. Non ita sanè ratiocinabatur S. Franciscus, de quo ita Bonauentura: Sentiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, cū iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absq; consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionū, Angelorū conciuis iam factus feruenti desiderio querebat dilectū, à quo eū solus carnis paries disiungebat. Erat & operati præsidium, dum in omnibus quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat.

c. ro.
vita
ipius.

Y

Am

Ambulans & sedens, intus & foris, laborans & vacans orationi adeò erat intentus, ut illi videretur non solùm quidquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicasse.]

Num fit igitur iactura temporis illius, quod tam sanctæ piæque exercitationi impenditur, atque adeò consecratur?

Surius
2. Maij.

Accedat eodẽ D. Antoninus, qui id ipsum tibi sanctissimo vitæ suę instituto persuadeat tandem. Nulla fuit vñquam (ita eius vitæ scriptor) tanta negotiorum moles, & incurrentium causarũ implicatio, ut vel tantillũ, hominem Deo plenum retinere posset, quin in sublime totus specularũ cœlestia raperetur. Habebat scilicet reconditum quendam mentis angulum, quem intactum seruabat, ad quem negotiorum strepitus & curarum pastoralium anxietas non irrepebat, ut vbi ab actitandis causis desisteret, eò tamquam ad asylum tutissimum, & ab hoc exteriore homine, ad eum quem Paulus interiorem appellat, recurreret. Hæc Historicus.

Noli ergo iacturam temporis vocare, frequentem ad Deum aspirationem, quã quidem compendium temporis & censuere, & ut talem sanctissimi quique in omni vita adhibuere. Verè enim D. Chryostomus interrogat atque interrogando asserit. Nonne scis, inquit, quòd si veniens Deum adoraue-
ris,

ris, & præsentis hic occupationis sis particeps, quæ in manibus habentur negotia, tibi magis cedunt secunda? Sed seculares curas habes: propter has saltem huc occurre, ut per hanc moram allecta Dei benevolentia, tutus ita prodeas, ut ipsum habeas commilitonem, ut dæmonibus inexpugnabilis fias supremâ succurrente manu. Nam si preces paternas cõsequaris, si communis particeps orationis fias, si Dei compares auxilium, & ipsius armis munitus ita progrediaris, iam neque Diabolus ipse contra te respicere poterit, ne dum homines mali te contumelijs afficere studentes, & calumniati.]

In eandem sententiam D. Ambrosius. *Diuide* (inquit) Deo tempora tua: vel quando In psal. 118. ferm. 19. agere non potes in publico, quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato, indulge orationibus, & ne obdormiscas, psallito, somnum tuum bonâ fraude fraudato, manè festina ad Ecclesiam, defer primitias pij voti, & postea si vocat secularis necessitas, non excluderis dicere: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, & sic securus procedis ad actus tuos.

Quæ quidem ab his sanctissimis Patribus de longioribus publicisq; orationibus dicta, optimè sanè breuioribus hisce iaculatoriisq; quadrare nemo non videt, quarum quidem frequentiore vsu, diuinâ ope benevolentia-
 Y 2 que

que cōciliata, bellissimè atque ex animi sententia cadunt vniuersa. Quod enim est tempus

In quadam decretali, c. 9. contra Pelagium. 2. 2. q. 83. a. 2.

Lib. 4. de confiderat. c. 4.

(vt præclarè D. Cœlestinus Pontifex Maximus) quo Dei auxilio non indigemus? In omnibus igitur rebus, causis & negotiis exorandus est protector Deus: superbum est enim (vt scitè ait D. Thomas) vt humana natura aliquid de se præsumat. Monitum est S. Bernardi: In omni re orationi plus fidentum, quàm suæ industriæ aut labori. Facessat ergo falsa hæc occupationum causa, nec te temporis subire dispendium querare, si eas breuiculâ aspiratione interpelles, quin exiltima potiùs, eius te magnum facere compendium.

De obitu Valerij Imperator.

An se fortè tempus perdere operamq; ludere putat miles, cum hostem aggressurus, corpus omne accuratè magnòq; orio armis induit, ne vllis eius pateat telis? An non potiùs optimè censeret collocatum tempus illud omne, quo vt vitæ suæ consulat seq; ab impendente morte liberet, omnis generis armaturâ sese aduersus hostilem aciem præmunit? At quis ignorat esse orationē armaturam, eamque hosti imperuam? Bonum scutum (teste Ambrosio) oratio, quo omnia aduersarij ignita spicula repelluntur. Vir religiosus (auctore D. Thomâ quod idem de quouis alio accipe) ab orationis præsidio destitutus, miles est in acie, aut inermis. Oratio (ait

(ait Nyssen) corporum robur est, regni vires, pudicitiae praesidium atque tutamen, viatoribus scutum. Oratio aduersus Amalechitas trophaeum erexit. Oratio centum octoginta quinque millia Assyriorum vna nocte gladio inuisibili prostravit.

Sed fac his armis induendis breuibúsq; ad Deum aspirationibus temporis iacturam existere, sit ita sanè. At quantuli quaeso? aliquot momentorum in horas singulas. Aestimanda sanè iactura, maximè cum tanto fructu tamque expetendo emolumento resarciatur abundè. Sed heus tu, cur te etiam temporis iacturam subire non quereris cibi potionisq; sumptione, ijsq; sumptis, vt & alias sepissimè animi relaxatione? nocturna item quiete, ceterisque naturae necessitatibus? At ea necessaria sunt; nec enim potest sine his vita consistere. Quasi verò ea possit sine oratione: quasi verò non sit oratio cibus, cuius detractio animam emori sit necesse. Audi quid de ea non quiuis de grege atque copuletissimus testis Augustinus. Sicut, inquit, ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs & orationibus interior homo nutritur & pascitur. Quod idem confirmatum habes à sanctissimo Abbate Nilo. Orationis autem quiete, somnum esse dulcissimum satis constare potest ex illa sponsi in Canticis obtestatione, qua filias Hierusalem per capreas ob-

Y 3 testa-

Exhortatione de salutis monitis ad quemdam Comitè c. 8. c. 95. de oratione. c. 2. 7.

testatur ceruósque camporum, ne suscitent neque euigilare faciant dilectam donec ipsa velit. Quæ verba Gregorius accipit de sancta anima, quæ à cunctis (vt ipse loquitur) mundi perturbationibus quiescere appetit, & in sinu spōsi, sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit.]quod oratione, contemplationeque perfici nemo ignorat.

Sed in hoc somno illud existit mirabile, quod dormiens vigilar, & vigilans dormit. Ego dormio (inquit illa de Canticis) & cor meum vigilar. Dum enim (vt pulchrè Gregorius) mens sancta à terrenis tumultibus exterius dormit, interiori cogitatione quæ sunt cælestia pēsatur. Neque enim vt torpeant dormiunt, sed vt liberiùs æterna contemplantur à transitorijs rebus quiescunt.]Hęc Gregorius. Habes ergo nec tibi negotiorum molem nec temporis dispendium afferendum, vt te hoc quæsito colore ab hoc tam pio saluariq; aspirationum vsu, iure immunem liberumque arbitreris: verè enim id pretextus est, inaneq; subterfugium, tantumque abest, vt quæ in manibus sunt negotia aliquam tantillo tempore remoram patiantur, quin potiùs diuino Numine propitiato promouentur magis, multòque opratiorem ac lætatiorem exitum sortiuntur.

CAPVT XV.

Responsio ad eos qui subuerentur, ne si mentem breui precatiunculâ ad interna reuocent, excidant numquam reditura, quæ in rem presentem faciebant.

PLERIQUE existunt, quæ Dei est bonitas, ex omni hominû ordine, quibus sua sunt stata, fixaq; tempora aspirandi ad Deum: verum cum grauiore aliquâ occupatione distinentur, ad quam magnâ animi applicatione est opus, piâ orandi consuetudine intermissâ inchoata persequuntur, ne tantillâ intermissione ab iis fugiat quod fugisse multum dolerent: Sed vanum omninò esse metû hunc, eiusque similem, de quo sacræ litteræ, qui trepidauerunt timore vbi non erat timor, pro virili conabor propositis rationibus euincere.

Principiò quero à quo tenes id, cuius fugâ iacturâq; metuis? A Deo Opt. Max. inquires. Cur igitur non possit id ipsum conseruare & cõtinerere, quod tibi antè impertiit? At possit quidem, quis autem sciat num id velit? Cur non velit ei adesse qui se colat? Qui cæteris omiſſis illi vni intendat, certâque nixus fide, in eius prouidentia humanâ omni positâ
 Y 4 pruden-

prudentiâ conquietat? Ad hæc qui menti tuæ siue vnius naturæ ministerio, siue superiore aliquâ ratione indidit cogitationem illam cuius times interitum, atque hoc quidem tum cum nihil de eo cogitares; qui eandem tibi perire patiatur quando rebus omnibus charissimis etiam post habitis, totus es in eius cogitatione defixus?

Secundò quoties ipsam cum Deo sermocationem cōsuetudinemque; interrumpis, vel corporis necessitatibus urgentibus, vel amicorum interpellatione, vel negotiorum quæ moram non patiuntur tractatione. Rem tantam tamque diuinam interrumpis: occupationum verò humanarum filum orationis causâ non abrumpas? Nihilne tibi illa orationis ob res humanas interruptione decedit? Quantum ex ea spiritualis fructus collegisses? quantum caelestium gaudiorum percepisses? quantum donorum factus esses particeps? cur non ista quereris, cum tibi orationis exercitium aut intermittendum, aut omnino relinquendum est? Cur nobis minimæ reulæ obijcis iacturam, ne negotiorum tuorum cursum abrumpas? Itane iacturam vocas celeste illud orationis pabulum, optatissimamque quietem, quâ ut fruarentur sanctissimi viri omnium rerum iacturam passi sunt? Ergone iactura est diuinæ amicitiae conciliatio? vberioris gloriæ adeptio?

ptio? meritorum amplificatio? æternorum solationum prægustatio? inexplicabilium gaudiorum præsensio?

Sed quoties (atque hæc sit tertia ratio) tibi à negotiorum prosecutione cessandum est interpellato ab amicis? Quoties tibi aut litterarum studiis operam danti, aut eorū quæ humanæ vitæ vsui esse possunt aliquid inuestiganti, aut litteras scribenti variæ sese, idque importunè ingerunt occasiones, quibus, relictis etiam quæ in manibus erant, obsecundandum est? An fortè tibi non abeunt tua illa quæ obtendis conceptionum animique sensa? Abeunt sanè idque citiùs multo quàm oranti: inuehunt scilicet humana negotia varias animi perturbationes alias gaudij, mæroris alias, hinc amoris, illinc odij, quibus mentem planè immutari, obliterarique, quæ leuiter & ceu aquæ inscripta erant experientia ipsa confirmat. Obsequêris igitur amicis te interpellantibus, sequêrisque quo te vocant externa negotia, intermissis tuis non obsequêris Deo? non sequeris te vocantem Deum?

Verùm dic, amabò, si quemadmodum illibenter pateris te à negotiis auocari leuiiores ob causas, & quæ è re tua non sunt, ita si te quamquam occupatissimum Rex quispiam aut Princeps, aut Prouinciæ moderator, aut is cuius ope maximè egeres,

Y 5 ad

ad se accerferet, nonne dimissis repente omnibus ad eum ocijsimè dictoque citiùs aduolares? Num metueres ne quid earum rerum, quæ tibi vsui esse possent, memoriã excideret? Num causareris occupationes tuas? non credo equidem. At non est Rege aut Principe inferior qui te vocat Deus: Is

Psal. 75. est, qui terribilis aufert spiritum Principum.
13.
Iob 12. Ipse est, qui baltheum regum dissoluit, &
18. præcingit fune renes eorum. Is est; qui cla-
Apo. 1. ues habet mortis & inferni, de cuius ore
18. procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat
Apo. 19. 15. gentes. Ipse est denique qui habet in vesti-
mento suo, & in femore scriptum: Rex re-
& Dominus dominantium.

Neque verò tibi diuino minùs opus est præsidio, quàm humano quamquam regali. Num fortè ignoras quod à Menandro dictum commemorat Paulus? In ipso viuimus, mouemur, & sumus? Ignoras ipsum tuum esse, vitam ipsam actionemque omnem tuam sine illo nulla esse? At si quæ natura, naturalibusque constant causis ita se habet, quid erit tandem de actionibus ijs, quarum principia vt superioris sunt ordinis, ita naturæ vires longè superant? & de quibus ipsa
Ioan. 15. veritas; Sine me nihil potestis facere. Quod
5. igitur concedis homini, id ipsum si lapis Deo ne recusa. Deo inquam, cuius opera tibi est in singula momenta necessaria: qui-
que

que nisi te continet, in pristinum nihil, momento corruas & concidas. Vides, credo, quanti tua intersit illum, sub cuius nutu, vitæ, actionumque tuarum momenta decurrunt, propitium habere placatumque, quæ quidem precatione effici, tibi satis constare potest.

Cogitabis item (quartum hoc habeto responsum) quid factitatum à superioris memoriæ Patribus. Num erat Bartholomæus ab omni negotio otiosus, omnisque curæ expers? An non & ipse Apostolus apostolicis verbis de se poterat prædicare illud Pauli: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum? quis autem hoc viro orationis amantior? qui in dies singulos centies orationi se dabat. O quoties illi, hoc ut orationum pensum persolueret integrè, humanis officijs supersedendum? Quoties abruptendus negotiorum cursus? Quoties in Deum deriuanda cogitationum fluxio? neque verò id ne faceret causabatur memoriæ lapsus, neque verebatur ne sibi exciderent ea, quæ quidem excidisse grauiter ferret. Nimirum confidebat non commissurum Deum ut inde dispendium pateretur, vnde ei lucrum, quæstumque accedere oportebat: & ut oratio ei esset damno, quæ ad commune generis humani præsidium, atque ut omnibus bono sit, instituta est.

At

2. Cor.
12.28.

At quidquid tandem dicatur (inquies) is me timor semper sollicitum habuit. Verum quæro ex te, num si tibi vel officium Ecclesiasticum recitanti, vel meditationi insistenti, nonnulla occurrant rebus gerendis, negotiisq; perficiendis opportuna, abrumpas orationis filū, ut illa ipsa excipias ne effluant. Non credo, si is es, qui esse debes; Cogitas opinor ad Dei spectare bonitatem & providentiam, ut (quando eum oratione colis & veneraris) ea ipsa ita mente complectare, ut non excidant, aut si excidant, paulò post etiam ipso inspirante & afflante recurrat: nec eadem recurrant modò, verum etiã in præmium non interruptæ orationis addantur alia, atque alia, multiplici fœnore atque lucro. Cur non eadem in proposito ratio valeat?

Sed sit ita sanè ut subuereris, nec recurrat animo, oratione, ea ipsa rapiente, quæ in rem tuam erant: Quid tum? patere hoc dispendium (compendium verius dixerim) rerum tuarum. Quis non compendium vocet divinæ amicitiae accessionem maiorem? gloriae promeritum? cælestium donorum copiam? peccatorum condonationem? debitorum solutionem? omnifq; boni proventum? Hæc utique plurimaq; alia, quæ dicendo persequi longū foret, minimâ iaculatoriâ prece consequeris. Num cum istis, ea quæ tibi orando
effluere

effluere quereris vllâ ratione comparanda sunt? obolum perdis, sed is aureo compensatur. Quis non vitrum margaritâ commutet? quis non aurichalcum præferat auro? quis tam demens qui teruncium emendæ escæ non exponat, quâ vel aucupio vel piscatu plurimum rem familiarem augeat? vitrum, aurichalcum, teruncius (mihi credo) sunt ea, quorum dispendia, margarita auro nobiliq̃ue gloriæ cælestis adeptione, quasiq̃ue aucupio compensantur.

Iterum & extremum dico, deleat oratio neque verò redeant ṽmquam ea, quæ occupatus mente agitas, rebus tuis profutura. Quid? morti Daniel (teste Chrysostomo) orationem prætulit, emoriq̃ue maluit quàm à precatōne desistere. Tu nescio quibus animi tui sensus orationē posthabebis? Quid? ille iacturam vitæ minoris duxit æstimandam quàm precandi studium. Tu leuiculæ conceptionis inutilisq̃ue retentionem orationi præponderare existimabis?

Sed quid Danielem egregia in Deum pietate commemoro? vide vt se hac in parte habuerint vel fidei lumine destituti. Trāsīte in Cethim & in Cedar, mittite monet Hieremias (gens ea est à fide aliena) & videte si factū est huiuscemodi, si non ipsi peccandi studio addicti magis quàm ij qui Christi saceris initiati sunt. Memoriam traditum est à
Vale-

c. 2. 10.

1.3.c.3. Valerio, cum Alexandro sacrificanti præsto essent nobilissimi pueri, de iis vnum aliquem thuribulo accepto ante ipsum additisse, cumque in eius brachium carbo ardens esset delapsus, quo ita vrebatur, ut adusti corporis eius odor, ad circumstantium nares perueniret, tamen & dolorem silentio pressisse, & brachium immobile tenuisse, ne Alexandri sacrificium aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regales aures exasperaret. O eximiam animi fortitudinem, ô virtutem longè annis superiorem, quamque vix in constanti ætate reperias. Sed ô probrum Christiano nomini sempiternum! Potuit ethnicus ne sacrificantem orantemque interpellaret propriâ neglectâ salute atque incolumitate, ignem, cuius acerbissimi sunt morsus, perferre: tu Christo initiatus quisquilijs tuis & nugis rebusque nihili, quæque solâ cogitatione continentur, orationem atque ad eum Deum ipsum posthabebis? Verùm impar est oratio tantæ indignitati. Surgent Niniitæ in iudicio & condemnabunt generationem istam.

Matth.
12.41.

CAPVT XVI.

*Responsio ad eos qui memoriam incusant
bonâ aliâs predivi voluntate.*

GRAVISSIMIS verbis increpasse Prophetas Dei obliuionem passim constat ex sacris litteris. Ira quidem regius Prophe-
ta de gente sua. *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magna in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Ezechiel autem exprobrat idem ciuitati Hierusalem. *Vsuram, inquit, & superabundantiam accepisti, & auarè proximum tuum calumniabaris, meiq; oblita, es ait Dominus Deus.* In eandem sententiam Hieremias. *Meiq; oblita es diebus innumeris.* Quanta porro lateat emphasis, in uocula (mei) facilius est animo quam verbis complecti. Mei, inquam, oblitus es tam pii munificique parentis, mei cuius tot in te immeritum exstant præclara merita, quem creauit de nihilo, seruauit tot annos, & ab infinitis periculis tum corporis, tum animi sum rutatus. Quem vnici mei sanguine, peccati seruitute, mortisque vinculis ereptum in gratiam recepi, in filium adoptauit, quemque ad hæreditatis æternæ consortium admissum immensis tum charitatis, tum virtutum cæterarum donis cumulauit, siccinè igitur mei oblitus

Pfalm.
105.21.

Ezech.
22.12.

c.2.32.

Jerem.
2.32.

oblitus es? quî potuit tot benefacta, tot pro-
merita, tantam gratiam delere obliuio? Itã-
ne potuisti obliuisci eum, qui vt ne tui villo
vmquam tempore obliuisceretur in mani-
bus suis descripsit te, non id quidem attra-
mento, verùm sanguine suo? obliuiscatur
licet mater infantem vteri sui, obliuiscatur
virgo fasciæ pectoralis suæ, crede dicenti
fore numquam, vt illum tui capiat obliuio.
Quomodo igitur emori potest aut languere
eius recordatio, cuius tot exstant apud te
collata beneficia?

Psalms.
138.7.

Et sanè omni dignum admiratione cen-
seo, vt creatura eum, à quo omnia sua acce-
pit, vt mortalis inquã homo Dei Opt. Max.
obliuiscatur vmquã. An nõ quidquid videt,
audit, cogitat, palpat sensuue alio percipit
Dei opus est, eiúsq; vel vestigium, & speculũ
vel expressa imago? sed quis tam remotus
locus, quis secessus tam abditus, quæ tam
peregrina regio aut plaga quò non pertige-
rit? an non est vbiuis terrarum? nõne cæ-
lum implet, & terram? Quò ibis à spiritu
eius, & quò à facie eius fugies? si ascenderis
in cælum illic est: si descenderis in infernum
adest: si sumpseris pennas tuas diluculo, &
habitaueris in extremis maris; illuc manus
eius deducet te, & tenebit te dextera eius.
Si dicis forsitan, tenebræ conculcabunt me,
& nox illuminatio mea in delitiis meis:
Quia

Quia tenebræ non obscurabuntur ab eo, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius.

Ipse est qui nusquam non est, idq; per essentiam, præsentiam, & potentiam (vt loquuntur Theologi) vniuersaq; continet ac conseruat, omnibus dat vitam, inspirationem, & omnia. Ipse tibi multò est præsentior, atque interior quàm tu ipse tibi, magisque dependet ab eo vita tua, quàm ab animo tuo, cùm nec ipse animus tuus nisi eius ope subsistere vel momento possit. Eius tu obliuisceris sine quo nec existis, nec viuis, nec agis quidquam? qui tibi adest semper? qui in intimis hæret visceribus? qui cordis tui penitissimos occupat recessus, qui vitæ tuæ vita, qui animi tui animus est: eum tu non meministi? Est quidquam tam indignum?

Verùm nonnihil excusationis (id enim fatendum est) habet memoria, naturâ suâ fluxa, fluidaque. At iuuanda erit & firmanda, quodque ei natura negat, ab arte accersendum. Quam in hoc quidem genere arbitror conitare partibus omnino duabus; alteram voco interiorem, exteriori alteram. Ad illam spectant affectiones animi, amor & timor imprimis: ad hanc exercitatio sensibiliâq; signa & huiusmodi. Amore quidem potentius nihil, tum ad menti in-

Z scul-

Actor. 1
17.26.

sculpendum quiduis, tum ad continendum,
tum ad id reminiscendum.

1. 2. q.
26.

c. 4. de
diuini
nomi-
nibus.

Quis eius rei quam diligit possit obliuisci? Amoris effectum facit ecstasim D. Thomas: id enim efficit amor, ut qui amat, continenter de re amata cogitans, abstrahatur cogitatione à ceteris rebus, quem quidam amoris fructum ex diuino amore percipi potissimum, obseruauit S. Dionysius. Eaque est vis atque importunitas cogitationum de re amata, ut quisquis amat, eum somnus deficit, nullamque capiat quietem: nimirum amore commouetur cor, sanguis, vitalesque spiritus, tum agitantur, tum dissipantur, atque ob amati memoriam, momento uix intermissam, plus æquo incalescit cerebrum; immodico autem calore quietem impediti (ut & cerebri tum humore tum frigore conciliari) medicæ artis periti tradunt, experientiaque constat, eos, qui letargo laborant, ne punctos quidem, aut stimulos expergisci, quòd ijs cerebrum superfluo tum humore, tum frigore sit vitiatum. Contrà phrenetici, quòd nimio ferueant calore continenter vigilare. Quod si amanti, quietis vel tantillum benigna indulgeat natura, ne ipsa vacabit quidem à cogitationibus de re amata, quiescensque non quiescet; recurret nempe animo species dilecti quem somniabit, quo qui-

quidem somnio non mediocrem sibi videbitur etiam in quiete capere animo voluptatem. Est enim amantium proprium (ut palchre Theodoretus de B. Iacobo) omnes quidem alios despiciere, illi autem soli quem amant & diligunt adherere, eumque & noctu somnare & interdiu visione apprehendere. Hæc Theodoretus. B. quidem Xauerium memoriæ proditum est, sæpius per somnum de dilecto suo cogitantem emittere solitum eiusmodi voces: O IESU bone. O creator mi, aliasque consimiles: vigilare illum atque orare, non dormire crederes.

In Philo-
loco.
c. 21.

Lib. 6.
vitæ c. 5.

Si quis autem ex me quæret unde continens illa agitatio atque memoria rei amata? Is quidem intelligat amore vim copulandi maximam contineri, nihilque illo copulatus existere, esseque duorum inter se coniunctionem principem eius fructum, ut præclare tum Plato in symposio, tum Aristoteles in politicis (ubi ex Aristophane dicit ex amantibus fieri quasi vnum) tum D. Dionysius Areopagita, qui eam ob causam amorē nuncupat commiscentem virtutem, quod plurimum animos in vnum quasi commisceat. Cui quidem subscribit Augustinus, qui amorem esse vult veluti iuncturam quandam, quæ amantem cum re amata copulat vel copulare appetit. Cum igitur amore existat coniunctio, eaque tanta ut amicus sit

2. Polit.
c. 2.

c. 4. de
diuinis
nomini-
bus par.
2.

8. de
Trinit.
c. 10.

Z 2 tam-

tamquã alter idem, quis iure miretur amore effici memoriam rei amata? quis enim sui ipse non meminit? aut quis vñquam suimet memoriam rerumque suarum cogitationem posuit?

Ex his satis arbitror intelligi quantum valeat amor ad reminiscendum, neque verò posse quemquam non animo versare eum, quem quidem sincerè & sine fūco diligit. Itaque ama tu Deum, utique redama, neque vlla te vñquam eius capiet obliuio, ceterorum omnium dempto eo citiùs obliuiscaris, obliuioni dabitur potiùs dextera tua, quàm vt eum non memineras.

Psalm.
136.5.

Alterum erat memoriæ adiumentum timor. Quomodo non animo subeat is, à quo nobis quid mali metuimus? vide mihi fontes, vt nihil aliud versant animo, aliud nihil somniant, quàm vincula, carceres, exilium, laqueum; omnia iis plena sunt licetoribus, apparitoribus, carnificibus, ceterisque iustitiæ administris, quamquam ab ijs procul absint, magnorum scilicet sibi conscij flagitiorum omnia etiam tuta timent. Sed tibi fortasse nihil meritò timendum. Non arbitror equidem. Quis superioris vitæ libidines & scelera? quis æquissimum, sapientissimū, scientissimum, potentissimumque Iudicem, qui- que & necis & vitæ habet potestatem? Quis futu-

futura vitæ supplicio æuo infinito duratura
 Dei que ipsius æternitatem æquatura per-
 tractans animo non timeat vehementer? Ti-
 muit Iob quo nemo vir melior, cuius est ea
 vox: *Semper enim quasi tumentes super me flu- 19b. 32.*
ctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. 23.
 Timuit David, qui quâquam diuino oracu-
 lo esset secundum cor Dei exclamat nihilo-
 minus. *Ne proyicias me à facie tua, & Spiritum*
sanctum tuum ne auferas à me. Quid quod D.
 Paulus vas electionis tū sanctitate eximius,
 tum Apostolatus dignitate præclarus, etiam
 post immensos propagandi Euangelij causa
 exantlatos labores, post vincula, naufragia,
 carceres, flagella, post sexcenta pericula, cer-
 ra, mari que, domi & foris Christi nomine
 adita, ne tum quidem omni timore solutus
 castigat corpus suum & in seruitutem redi- 1. Cor.
 git, ne cum prædicauerit alijs, ipse repro- 9. 27.
 bus efficiatur.

Et sanè is fuit Sanctorum omnium
 sensus, timendum semper. Diuino liqui-
 dem oraculo didicerant Beatum illum qui Prou.
 semper est pauidus, atque initium sapien- 28. 14.
 tiæ timorem Domini. Nec in hac mor- Eccl. 1.
 tali vita cuiquam esse exploratum, sitne de 16.
 hædis futurus, an de ouibus, sitne ad leuam
 an ad dexteram collocandus. Cùm itaque
 tibi tot suppetant causæ timoris, accerse
 hanc animi affectionem. Illum time, qui à te

Z 3 ratio-

rationem exiget dati & accepti ad vsque
 nouissimum quadrantem. Cui etiam si iu-
 stus esses, non poteris respondere vnum
 pro mille. Illum, inquam, time cui nihil
 imperium, cuius oculi lucidiores sole, cui
 manifesta consilia cordium, & abscondi-
 ta tenebrarum, cui tenebræ ipsæ lucent,
 cui nox dies est. Et quod caput est, qui po-
 test animam & corpus perdere in gehem-
 nam. Si te hoc timore exercebis frequen-
 ter, non patietur is quidem à te abesse Dei
 memoriam. Memoria memor eris & tabes-
 cet in te anima tua; tabescet, inquam, aut
 commissorum dolore, aut omissorum desi-
 derio, aut amore summi boni, aut spe æter-
 nitatis, aut consimili aliquo mentis affe-
 ctu, qui vel est ipsamet aspiratio ad Deum,
 vel sine ea consistere non potest.

Iob 9. 3.
 1. Cor.
 4. 5.

Thren.
 3. 20.

Venio ad ea quæ exterius memoriam
 iuuant. Exercitatio (ea enim prima erat) &
 labor vna est & maxima ars memoriæ. Exer-
 ce te ipsum frequenter hac Dei recordatio-
 ne, certa tibi ac stata præfige tempora eius
 exercendæ, quæ numquam quoad eius fieri
 potest, aut negligantur aut omittantur. Quod
 si id accidat, supplicio aliquo leuiore eam
 obliuionem coërce & castiga. Ita sensim sine
 sensu voti fies compos, Dei que consecutus
 memoriam ad eum summâ animi tui oble-
 ctatione, nec fructu minore aspirabis.

Ad

Ad externa autem signa quod attinet, certum est illa ad memorandi artem valere plurimum. Utuntur in eam ipsam rem oratores locis & imaginibus, iisque illustribus, acribus, insignitis, aliquid agentibus, quæ occurrere celeriterque percutere animum possint. Item suadent, ut cum longior oratio memoriâ complectenda erit, iisdem quibus scripta est chartis ediscatur, & quò hæreat facilius, aliqua apponantur notæ, quarum recordatio commoueat & quasi excitet memoriâ. Atque id ipsum sanè à nobis potiori iure exigit Christiani hominis officium. Certis itaque signis mens & commouenda & excitanda ad continuam Dei memoriâ. Id præstabit (ut supra etiam dictum est) tum horæ pulsus, tum Christi crucifixi, Deiparæ Virginis aliorumque calitum, pro cuiusque affectu simulachra, quæ ex aduerso posita, variisque cubi- culi locis ritè disposita, crebro sui intuitu ita memoriâ ferient, ut autem licet stertentem excitare possint, præsentique animo sibi ut sit, efficere.

At id tibi fortè non sufficit graui veterno consopito, correptoque: dicam, adhibe monitorem, qui tibi aurem vellicet, atque idè fac quod in aliis rebus humanis solitus es, quarum ne te capiat obliuio, curas tibi eas ipsas in mentè reduci ab aliquo tuo familiari.

Plutar-
chus cō-
menta-
rio, In
Princi-
pe re-
quiri
doctri-
nam.

At non est id in usu. Scio quidem non esse id usu receptū, sed recipi quid vetat? Quam multa sibi quotidie usum vendicant quæ ante iacuerunt? quorūmque nullus antea usus? Si Persarum Regis cubiculario vni de cæteris hoc erat mandatum negotij, vt summo ad eum adiens diluculo ita illum compelleret: Surge rex, atq; ea cura negotia quæ te curare voluit Mesoromasdas. Cur non possit & verò debeat Christianus ad ea procuranda, quæ non ei à Mesoromasde inani aliquo numine, ficto quæ, sed à vero, & viuente Deo credita sunt, alterius vti tum operâ, tum industriâ?

Periclem quidem accepimus nullo eguisse monitore ad ea quæ officij sui erant honestè & ex virtute obeunda, se ipse dum vestem magistratus quem gerebat insigne in publicum proditurus indueret, submonebat. Attende Pericles (ita ipse sibi) liberi sunt quos ipse regis, Græci sunt, ciues Athenienses sunt? sed non valent omnes huius virtutem viri consequi, quamquam si ij essemus qui esse debemus, non vestis modò, sed res quælibet quam vel tractamus, vel quæ in aures oculosque incurrit Dei nobis memoriam, qui eam ipsam condidit continenterque conseruat & continet assiduè reficit. Denique non parum facit ad frequentem Dei memoriam id ipsum oratione exposcere.

re.

re. Precare itaque Deum vt animo tuo frequenter subeat, vt se ipse menti tuæ ita insculpat, vt nullâ aut vi, aut casu eius obli-
 retur recordatio: vsurpabisque identidem il-
 lud sponsæ. Pone te vt signaculum super cor
 meum, vt signaculum super brachiû meum.
 Fac ô Domine vt quemadmodum nullum
 tibi abit momentum, quo diuinæ menti tuæ
 non recurro, ita & ego quolibet temporis
 puncto de te cogitem, te suspirem. Effice vt
 prouideam te in conspectu meo semper,
 quoniam à dextris es mihi ne commouear:
 quoniam firmamentum meum & refugium
 meum es tu, quoniam absque te possum ni-
 hil. Da Domine vt instar Abraham prisco-
 rumque Patriarcharum ambulem coram te,
 vt sim perfectus; neque enim alia est com-
 pendiaria ad virtutem omnem via, quàm
 tui nullo vniquam tempore memoriam po-
 suisse.

Cant.
8.6.

Ps. 15. 8.

Gen. 17.
1.

CAPVT XVII.

*Responsio ad eos qui opponunt se in huius-
 modi aspirationibus exiguam percipere
 oblectationem aut sensibilem deuotio-
 nem, solag^{is} ferè consuetudine ductos
 eas obire.*

Hoc libentius istis paulò diutiùs immo-
 ramur, quòd eas contineat orandi præ-
 ceptio-

Z 5

ceptio-

Homil.
14. in
Ezech.

c. 32.

ceptiones, quæ non modò breuioribus hif-
ce aspirationibus, sed diuturniori etiam ora-
tioni conueniant. Neque verò se quisquam
ab orando deterreri patiatur, quòd illi hæc
mentis exercitatio, & quasi cibus non sapiat
semper, desipiat potiùs nonnunquam, men-
tisque sit palato insuauis & iniucundus. Co-
gitet is quod præclare à Gregorio scriptum
exstat, orationem quasi quoddam esse cer-
tamen atque duellum, in quo modò hic,
modò ille tum vincit tum vincitur. Sed mul-
tò præstat ipsum audire qui explanans illud
ex Genesi, Et ecce vir luctabatur cum eo vs-
que mane. Hæc habet: Is, inquit, qui cer-
tat, in luctamine aliquando se superiorem,
aliquando eum cum quo certat superiorem
inuenit. Designat ergo Angelus Domini &
Iacob qui cum Angelo contendit, vniuf-
cuiusque perfecti viri & in contemplatione
positi animam, quæ Deum contemplari ni-
titur velut in quodam certamine posita, quia
intelligendo & sentiendo de incircumscri-
pto lumine aliquid degustat, modò verò
succumbit, quia & degustando iterum deficit.
quasi ergo vincitur Angelus, quando intel-
lectu intimo apprehenditur Deus. Hæc Gre-
gorius, qui pulchra duelli similitudine pro-
ponit eam quæ orationi familiaris est, & quasi
perpetua comes affectum vicissitudinem. De
qua quidem paulò post dicendum fusiùs.

Au-

Audiamus interim quid de eadē re luculenter S. Laurentius Iustinianus viæ spiritualis Dux peritissimus: Grata mens, inquit, & verè caritatis iaculo vulnerata, eadem virtutum exercitia, idem orationis studiū peragit, quum spiritualis lætitiæ penuriam patitur, sicut cum diuino calore repletur, licet id non eodem agat gustu: scit namque sapientiæ erudita magisterio, quòd maiorum donorum dignior efficitur post labores & certamina. Hoc significare voluit Propheta cum diceret; Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam; perfectèque caritatis argumentum est notissimum, in aduersis fiduciam nō amittere, & virtutes uniformiter semper operari, atque sub Dei disciplinā eodem animo, eodemque vultu perseverare.] Hæc B. Iustinianus.

Quibus duo præcipuè suggerit ad persuadendam, etiam aridæ menti in orando constantiam. Alterum quidem, magnum id aduersus Deum amoris existere argumentū, qui licet insuavis & insipidus, non deseratur tamen: alterum verò est spes fruendarum aliquando tandem cælestium voluptatum; quandoquidem Deo solemne est post tristitiæ tenebras, lucem consolationis immittere. Eius est mortificare & viuificare, deducere ad inferos & reducere, humiliare & exal-

De disciplina
mona-
sticæ cō-
uersa-
tionis
c. 18.

Psal. 93.

Iob. 5.
18.

exaltare: suscitare de puluere egenum, & de stercore pauperem erigere: Eius est vulnerare & mederi, percutere & sanare, hacque varietate mortalium vitam studiaque ita temperare, ut in omnibus aduersis licet naturæque molestis, pius se semper benignumque patrem exhibeat.]

Eodem
cap.

Porro idem Iustinianus vniuersum hunc animæ statum, quo ei cælestia maximèq; orationis vsus est iniucundus, atque adeò molestus scitè describit, quidque illi tum sit præstādum prudenter sanè hisce verbis præscribit. Solet interdum, inquit, Diuina bonitas ab orantis affectu se subducere, eumque totum aridum, totum reddere in deuotum. Tunc quidquid meditati offertur desipit, quidquid cogitare disponit, indiscussum præ ariditate spiritus derelinquit. Nihil sapit, nihil delectat, nihil reperitur quod pascat affectum, quin potiùs vbique tenebræ densissimæ palpantur, vbique sterilitas sentitur, quasi priùs nihil dulce gustatum sit: fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruscationes, & immissiones per Angelos malos ut euertant à sua stabilitate animum, faciantque illum ab oratione cessare.] Hæc ipse quidem de eo quem Deus solitâ oblectatione inter orandum non complet, quæ autem ei sana suggerat consilia videamus. Eo autem, inquit tempore quo hæc aguntur, orationis
actus

actus præmittendus non est (quod dictum accipe tam de breuiore quàm longiore) sed perseueranter custodiendus: si enim qui ista patitur petierit dulciter, accipiet: si quaesierit prudenter, inueniet: si pulsauerit fideliter aperietur ei lumen supremi fulgoris, videbitque solem qui prius erat in nubilo, fulgentem in meridie. Qui legit intelligat. Retunditur quandoque ex Dei dispensatione orantis animus innumerabilium varietate cogitationum, quæ præ sui multitudine & importunitate ipsum instabilem reddunt. ac ipse more carinæ fluctuantis in medio pelagi huc illucque agitatus, per tentationum scopulos collisus atteritur, atque amisso quietis delectabilis tranquillo portu incessanter ad Dominum clamare cogitur. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Tunc iactandæ sunt anchoræ bonæ spei in mare diuinæ miserationis, tunc toties ad cælum vociferandum est humili & ardenti cordis desiderio, quoties impingitur orantis animus ab impetu periculorum cogitationum. Pius autem Dominus non permittit diu laborare clamantem ad se, sed imperat ventis & mari, & fit repente tranquillitas magna.]

Psal. 68.

Idem extremo capite enixè commédatur
nullam

nullam ob causam consueta orandi stas horis consuetudo differatur aut intermittatur: solùm (inquit) propter corporis necessitatem & obedientiæ virtutem, atque proximi manifestam caritatem indictum orandi tempus intermittendum est. Vbi ne meminit quidem detractæ consolationis, aut ariditatis animi. Immo grauiter præcipit quod sibi quisque temporis spatium ad orandum delegerit, illud nec propter cordis duritiem multum diminuendum, nec propter mentis deuotionem inordinatè prætergrediendum: vtrobique latent insidiæ; nam in diminutione negligentia sæpe triumphat, in prolongatione autè indiscretio dominatur.] Haftenus Iustinianus. Cuius quidem præceptionibus, puto ex parte factum satis iis quos consolationis penuria ad orationis studium vel interrumpendum, vel deserendum omnino, fortè sollicitat. Sed habeant illi & hanc secundam responſionem.

An putant fortasse se hac solos affici molestiâ, sibi que tantum aduersos reflare ventos, cæteris omnibus fauentes? si id quidem censent, toto errant cælo. Sanctorum quippe omnium vestigijs trita est hæc via iam inde ab æuo condito, non semper frui amplexibus sponsi, nec in cellam vinariam introduci, nec repleti ab vberibus diuinæ consolationis. Omnia tempus habent, tempus ample-

amplexandi & tempus longè fieri ab ample-
xibus, tempus plangendi & tempus saltan-
di: tempus flendi & tempus ridendi: non se
semper ostendit sponsus, stat nonnumquam
post parietem, respicit per fenestras, prospici-
citque per cancellos, abscondit faciè suam,
se simulat abesse, nos aridos, tristes, desertos
relinquit ad breue tempus: periculum facit,
num verè & sincere à nobis diligatur: an
verò in bonis tantùm rebus ei adhæresca-
mus, cuius quidem perfidiæ sanctum Iob
criminabatur dæmon.

Ecclef.
3.5.Cant. 2.
9.

Quoties compellat apud Salomonem
sponsam sibi dilectam pia mens? Quoties
magnis illum vrget vocibus vt ad se redeat?
*Reuertere dilecte mi, similis esto caprea hinnuloq,
ceruorum super montes Bethel. Veniat dilectus
meus in hortum suum, & comedat fructum pomo-
rum suorum. Quis mihi det te fratrem meum,
sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris
& deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Ab-
erat ergo aut latebat, cum neque reuerta-
tur, neque inueniatur nisi aut absens, aut
abscondus. An non idem Salomon inducit
sponsam per vicus & plateas quærentem quæ
diliget anima eius? Ex quibus conficitur
non sese semper fruendum exhibere spon-
sum, habet stata tempora, vicesque quibus
sui copiam facit. Habet & varia cubicula
(tria quidem statuit Bernardus) ad quæ cui-
libet

Cant. 2.
17.Cant. 5.
1.
c. 8. 1.Cant. 3.
2.

Serm.
23. in
Cant.

libet pro ratione meritorum patet ingressus. In primo exercet magisterium, in altero iudicium, in tertio amorem. primum seruit doctrinæ, secundum timori, tertium quieti & delectationi: in quo quidem verè quiescitur, cum tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aspicere sit quiescere, ait idem Bernardus; Qui licet eximia sanctitatis vir si quis alius, nihilominus se ad istud tertium infrequentius admitti queritur, queritur autem his verbis. Sed heu rara hora & parua mora, ô si durasset!

Et miraris tibi sapiùs huius sacratoris cubiculi atque thalami oclusas fores? ô quoties eas vel præstantissimi & sanctissimi quiq̃ frustra pulsauere? Quoties Iobi verbis Deum in clama uere? Clamo ad te, & non exaudis me, isto, & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Subtrahit se verbum (ut pulchrè Bernardus) quo auidius reuocetur, teneatur fortiùs, & postquam vigiliis & obsecrationibus & multo labore & imbre lacrymarum quæ sitis ad fuerit, subito dum teneri putatur, elabatur, & rursus lacrymantis & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minimè retineri, dum iterum subito quasi è manibus euolat. Et si insisterit precibus & fluctibus deuota anima, denuò reuertetur, & voluntate labiorum eius non frau-

Serm.
74. in
Cant.

9.30.20.

fraudabit eam, sed rursus mox disparebit, & non videbitur nisi iterum toto desiderio requiratur. Dulce quidem commercium cum verbo, sed breue momentum, & experi-^{Serm. 85.} mentum rarum: potest quidem esse in hoc corpore de presentia sponsi frequens lætitia, sed non copia; quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc necesse est tamdiu animam pati, donec semel positâ corporeæ sarcinâ molis, auolet & ipsa leuata pennis desideriorum suorum, liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente sequens expedita dilectum quocumque ierit.] Hæc Bernardus; quo duce & auspice & tertiam subiiciam rationem.

Huiusmodi querulos, quibus spiritualis oblectationis detractio molesta est, velim animum attendere num ea præstent quibus ea prouocatur, quibusq; allicitur Deus ad eam exhibendam. Fortè appetis & tu (inquit Bernardus) contemplationis quietem, & bene facis, tantum ne obliuiscaris^{Serm. 46. in Caut.} flores quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura & tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio tamquam flore fructum, sanctum otium præuenire. Alioqui delicato satis otio dormire voles si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fecunditate

Aa ne

neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari, sed & præposterus ordo est ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus, qui non laborat non manducet. A mandatis tuis intellexi, inquit Dauid, ut scias nisi obedientiæ mandatorum, contemplationis gustum penitus non deberi. Non igitur putetes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumque traditionibus præiudicium ullatenus faciendum: alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto vno, illo præsertim quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque vrticis inobedientiæ aspersisti.

Bonâ veniâ lectoris, atque in gratiam Religiosorum subdam, quæ habet de ijs qui licet impatientes sint, singulares, contumaces, & moderatoribus suis minus obsequentes, optant nihilominus cælestis consolationis solatia, quasi gens, quæ fecerit iudicium & iustitiam. Miror valde (ita ipse) impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos suâ singularitate turbauerint, suâ impatientiâ irritauerint, suâ contumaciâ & rebellionem contempserint, suâ inobedientiâ coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ suæ lectulum, omni orationum instantiâ totius puritatis Dominum inuitare. Quid enim? lectulus
non

2. Thef.
3.

Psal. 118.

non est floridus, magis autem & putidus est, & tu illuc gloriæ regem trahis? ad paufandum hoc facis an ad caufandum? Et quid me vis facere inquis? profecto vt primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ & disceptationis, & murmuris & lioris & quidquid omnino aduersari cognoscitur aut paci fratrum aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumq; actuum & laudabilium studiorum, atque odoramentorum virtutum: id est quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogita, in his exerceri curato: ad istiusmodi securè vocabis sponsum, quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu, quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientiam pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed iustitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. Hæc Bernardus.

Atque vt ab eodem dulci sanè mellifluoque fonte reliqua nostra manet oratio, subijciam quæ idem habet de superbia, quâ nulla vel diuinæ visitationi cælestibusq; solatijs vel virtutibus capitalior pestis existit. Non sine causa sanè, inquit, ab heri & nudiustertius

tius inuasit me iste languor animi & mentis hebetudo, & insolita quædam inertia spiritus. Currebam bene, sed ecce lapis offensionis in via, impegi & corruui. Superbia inuenta est in me & Dominus declinavit in ira à seruo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia quam patior. quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est
 Psal. 118. sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere lubet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio.

Vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas & pax & gaudium in spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, segnior, obtusiorq; ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo uisitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Num collis non sum ex illis quos transfiliit Dominus sponsus? Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium uerò patientiæ admirandæ, alium autem summæ humilitatis & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ & pietatis, illum in cõtēplatione frequenter excedere, hunc pulsare, & penetrare cælos orationum instantiâ, aliisque in aliis præuenire virtutibus. Hos inquam

quam considero omnes foruentes, omnes deuotos, omnes in Christo vnanimes, omnes donis cælestibus & gratiâ affluentibus, tamquam spirituales reuera montes, qui à Domino visitantur, & sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud putem quàm vnum de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator.]

Ex his habes superbiæ admodum inimicas esse cælestes oblationes, nec frui verbo, vt cum Bernardo loquar, magna & alta de se sentientes. Absconditur id à sapientibus & prudentibus & reuelatur paruulis. Magna fratres (ingerit se ferè nolenti Bernardus) magna & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur (quis enim doceat quid sit frui verbo: illud licet experiri sed minimè loqui) digna adipisci quod non valet addisci (neque enim id docet lingua sed gratia) digna à verbo & de verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest.] Hæc Bernardus.

Matth.
11.

Sermo
ne 86.

Neque verò vna superbia cælestes excludit consolationes, verū & inuidia & detractio, atque potissimum mens terrenis satiata voluptatibus. Nemo omnium id luculentius explicat ipso Bernardo. Quomodo potes

Aa 3 (in-

Epist. 2. (inquit) esurire vel sitire Christum plenus
 ad Ful-
 conem
 puerū. bere simul calicem Christi & calicem dæ-
 moniorum. Calix dæmoniorum superbia
 est, calix dæmoniorum inuidia, & detractio
 est: calix dæmoniorum crapula & ebrietas
 est. Quæ cum impleuerint vel mentem vel
 ventrem tuum, Christus in te non inueniet
 locum. Non mireris quod dico. in domo
 auunculi tui non potes inebriari ab vberta-
 te domus Dei. Cur inquis? quia domus de-
 liciarum est, quomodo ignis & aqua simul
 esse non possunt, sic spirituales & carnales
 delitiæ in eodem se non patiuntur: vbi cra-
 pulam ructantis inter pocula senserit Chri-
 stus, vina sua dulciora super mel & fauum
 menti propinare non dignatur: vbi curiosa
 ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis
 discolor varietas oculos pariter pascit &
 ventrem, celestis panis ieiunam deserit men-
 tem.] Ad extremum, diuinis solatiis officit
 vehementer cordis incuria, quâ fit vt eo ne-
 glecto non inueniat celestis sponsus vbi cõ-
 moretur. Idem qui cæpit perficiet D. Ber-
 nardus cuius melle dulcior fluens oratio
 numquam fatiat. Omnes (inquit) causamur
 deesse gratiam (deuotionis scilicet) sed iu-
 stius forsitan ipsa sibi queratur gratia deesse
 nonnullos. Nempe res cordis est gratia de-
 uotionis quam quærimus, & hoc munere
 ipse

Serm. de
 triplici
 custodia
 manus,
 linguæ
 & cor-
 dis.

ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterùm vnde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem oris circumspectio, seu manus custodia subest? non sibi miretur deesse consummationem, qui nec initium apprehendit, sed ne is quoque, qui initium iam tenere videtur, si ad medium non peruenit.]

Ex quibus intelligitur manus ab omni peccato, linguamque continendam, ceterasque quæ superius commemoratæ sunt vitiorum pestes, carnisque voluptates procul à se amandandas ei quidem, qui inter orandum cælestibus optat pasci delitiis, sponsique amplexibus licet momento perfrui experit.

CAPUT XVIII.

Iisdem respondentur & alia quedam.

NON pauci neque vulgares eo tenentur errore, ut orationis fructum sensibili deuotione metiendum arbitrentur: quasi verò ab ea destitutus atque aridus omnino oleum atque operam perdat dum sic orat. Apage istam incitiam, neque enim orationis vel bonitas vel laus aut actionum quæ ab orante fiunt, doloris peccatorum, charitatis in Deum, gratiarum actionis, & cæte-

Aa 4 rarum

376 DE ORAT. IACVLATOR.
rarum huiusmodi perfectio aut meritum
hac sensu percepta deuotione cōtinetur, vt
communi sanctorum omnium calculo rece-
ptum est. Quis enim ignorat sensibile istam
deuotionem, ad appetentem facultatē, qua
corporea est, referri, cū voluntas potentia
sit spiritualis, neque ab ea dependeat? quare
non est opus vt superius commemoratae a-
ctiones appetentem facultatem afficiant,
verū satis est, vt voluntatem ipsam feriant
atque commoueant.

Theologorum sanè omniū commune est
placitum, qui de Deo offenso concipitur do-
lorem summum esse oportere, nō intensiue
quidem (vt loquuntur) sed appretiatiue: vt
licet vehementiore quis teneatur animi a-
gitudine, tristeturque magis ob iacturam
verbi gratiā rei familiaris, aut propinquo-
rum mortem, eamque lacrymis & eiulatu pro-
sequatur, quam ob iniuriam Deo, peccando
irrogatam, multo malit tamen millies etiam
eandem rursus subire iacturam copiosiusque
omnibus atque amicis priuari, quam diuinæ
bonitati esse iniurius. Itaque qui sic animo
est affectus, summè is quidem dolet de pec-
cato, summè Deum appreteriat, eiq; post ha-
bet omnia, quamquam neque lacrymetur,
neque clamores edat, neque exteriore signi-
ficatione vlla dolorem prodat suum, dolore
omni intus contento.

Ita qui orando, superiùs recensitis actio-
nibus diuini amoris, reliquarumque virtu-
tum, mentem exercet suam, Deoq; suppli-
cat, quamquam huiusmodi exercitio sensus
non moueantur, nihil id refert, neque illi ob
id pars vlla fructus detrahitur: Deo quippe
qui renes scrutatur corda, & satis superque
est voluntate, quæ potissima hominis pars
est, ea omnia perfici. Et certè quæ à nobis exi-
geret Deus, quod in nobis non est? quod ex-
tra immò vero supra nos, viresq; nostras po-
situm est? Neque enim in hominis potestate
est, orando inferiores animi vires ad suas a-
ctiones ciere, verbi causâ ad dolorem, ad
mœrendum, multoq; minus eas ad fletû ad
eiulatum singultusq; prouocare. At si quan-
do ea Deus impertit, cum gratiarum actio-
ne admittenda quidè sunt, at non tanti pen-
denda, vt eorum subtractione mens cõcidat,
animumque despondeat, atque orandi stu-
dium quasi fructu omni detracto abiiciat.

Quin vt benè monent etiã, rerû spiritua-
lium periti, haud rarò vberiore colligi fru-
ctum, amplioraque merita, plusque effici
precatione aridâ, siccâ, ieiunâ quæque omni
vacat solatio sensibilis deuotionis, quam
eâ quæ horum plena est atque affluens:
quod hæc illâ longè sit fortior, purior
item, atque ab omni philautiæ sorde defæ-
cator. Addit doctor Auila, haud obscurum

A a 5 esse

esse illud ipsum, præstantioris solidiorisque virtutis argumentum, arctiusque illum Deo coniunctum firmiusque adhærescere, nec ita facile ab eo diuellendum, qui superiore quàm qui priore vitur oratione. Etenim quandoquidem per se (non excipit Dei gratiam) absque vlllo spiritualium solatorum præsidio tam fortes celsasque exercet virtutum omnium inter orandum actiones: quid eum demum putemus facturum, si cælestium delectationum adsit copia, quâ tum excitetur tum roboretur? Si decertat, si vincit hostem inermis miles, quid faciet armatus? si portum tenet navis solâ remorum vi quamquam tempestate iactata ventisque restantibus, quid pacato mari iis que obsecundantibus?

Monilis
spiritu-
alis c. 3.

Idem porrò Auila priores cum pueris confert, qui matrum aut nutricum vlnis gestantur adhuc: posteriores iis qui nullo fultu adminiculo per sese ambulant. Abbas autem Blofius postquam dixisset (quod etiam in rem præsentem facit) neque distractionem mentis, quæ præter orantis voluntatem accidit, orationi fructum detrahare, neque item mentis ariditatem dum adest bona voluntas, subiicit hæc Christi Domini planè aurea ad B. Gertrudem. Vellem electis meis persuasum esse, quòd eorù bona exercitia & opera, mihi omnino placeant quando

do ipsi seruiunt expensis suis. Illi autem mihi expensis suis seruitium præstant, qui licet saporem deuotionis minimè sentiunt, fideliter tamen (vt possunt) orationes & alia exercitia pia peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa lubenter & gratè suscipiam. Plerique autem sunt quibus si sapor & consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, & meritum ipsorum valdè minueretur.] Hæc Christus Dominus, quæ quàm sint consentanea superiùs dictis, nemo non videt.

Nobis itaque posteriori oratione assuescendum, nauclerique imitandi, qui dum in alto nauigant, si eos ventus deficiat; Labore, remisq; triremem promouent. Ad eundem planè modum diuinorum solationum, celestiumq; deliciarum suauiter afflante aurâ destitutis, ad remos confugiendum. Proprioq; labore & industriâ, facultatumq; animi voluntatis atque intellectus applicatione, res omnis gerenda, perficiendaque est: quamquam non excludo sancti Spiritus opem, ventumque, qui nullo vmquam cessat tempore, vela nostra licet non ita vehementer inflare.

Concludam hoc caput aliâ, eâque postremâ responsione, magno, vt spero equidem, futura solatio, iis qui inter orandum minus sunt deuoti, minusque feruentes. His
qui-

quidem supplendum bona voluntate, entendumq; quam maximè ut quod re ipsa nõ assequuntur, affectu vehementi, desiderioq; sequantur. Non est minùs Deo accepta (quæ quidem eius est in nos summa benignitas) bona voluntas quàm res & factum ipsum, quando id quidem vires nostras excedit. Non minus (inquit quidam) laetatur Deus voluntate sanctoq; desiderio, quàm si tota anima amore liquefacta, plenè sibi iungeretur. Sed & id ipsum diuino cõfirmatum oraculo traditur à Blofio. Cùm enim, inquit, S. Virgo Gertrudis aliquando cõquereretur quòd tãtum desiderium ad Deũ habere non posset, quantũ habere debebat, diuinitus edocta est, optimè Deo sufficere, si homo verè velit & optet habere magnum desiderium, quando modicum vel nullum desiderium in se sentit, quia quàm magnum veller habere, tam magnum habet coram Deo. Et Deus in corde continènte huiusmodi desiderium (scilicet volũtatem habendi desiderium) libentiùs habitat quàm homo posset habitare, in vernantibus amœnissimisq; floribus.] Hæc Blofius.

Et sanè non est opus Deo nostra deuotio neq; feruentior oratio, nõ nisi cor quærit, ad illud attendit maximè, illudq; ipsum, eiusq; desideria ab ipso pro factis habentur. Orando itaque totum te offer Deo, præbe illi cor
tuum,

Barthol.
à marty-
ribus
Archid.
Brah.
char. in
cõpend.
spiritu-
ali c. 19.

e. 2. mo-
nilis
spiri-
tualis.

tuum, ardēter votisq̄ue omnibus expete, eo
feruore, animoq̄ue diuinæ maiestati suppli-
care quo id præstant maximè accensi Sera-
phini. Desiderium hoc tuū (ne dubita) respi-
ciet Deus, & pro facto habebit, remunera-
biturq̄ue. Quod vt enucleatiùs explicem sic
habeto.

Quoties tibi animi languor obrepit, ita
vt nec orare, nec contemplari valeas, nisi
perfunctoriè admodum, frigidè, & oscitan-
ter: perpende etiam atque etiam, quot, quā-
tiq̄ue eadem ipsa horâ existāt in quorū me-
ditatione exardescit ignis, quorumq̄; adipe Ps. 38. 4.
& pinguedine repleta mens, currit in odo-
rem caelestium unguentorum. Illis te cogi-
tatione ipsa, quia re non potes, adiūge, eun-
dem tibi infundi & affectum, & sensum re-
rum diuinarum, atque ipsis vehementer o-
pta: certò certius tibi persuadeas, non abitu-
rum in auras hocce desiderium tuum, exau-
dier illud, & remunerabitur qui desiderium
pauperum, & præparationem cordis eorum
exaudit pius & benignus pater, quamquam
ad opus ipsum non valeat pertingere.

Ad hæc intuere subinde, qua animi tum
demissione, tum feruore, cęlestes spiritus cō-
tinenter Dei maiestatem laudibus, canticisq̄;
prosequantur: quàm suauis, pioq̄ue concentu
occinant illud suum Trisagion Sanctus,
Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth;
Vide

Vide quibus facibus amoris ardeant, quamque promptos, agilesque se præbeant ad diuina iussa complenda minimo etiam nutu, significationeque voluntatis. Tum vsurpabis illud Ecclesiæ. Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Itaque Deum affaberis.

Ex me ipso, ô Domine, nihil possum, nullus sum, orare nequeo nisi oscitanter admodum: sed me ad beatarum mentium preces, & laudes cõuerto, quod fit ab ipsis, id ipsum facere summè expeto: vtinam quemadmodum te diligant ipsi, & prædicant, possim & ego te eorum imitatione amare, & prædicare. Subinde operæ pretiũ erit cogitationem suã referre ad ea tempora, quibus videmur nobis non indignas Deo preces fuisse. Hoc enim aut simili modo compellando. Quæ tum, ô Domine, tuo afflatus numine cogitavi, volui, dixi, sensi, perfeci, eadem ipsa modo tum cogitata, tum dicta tum perfecta peruelim. Quemadmodum me tum magno animi sensu affectusque ad omnia quamquam graua tui causa perpetienda obtuli. Ita & modo offero.

Memini quàm me olim piguit peccasse, memini lacrymarum quibus stratum meum non semel irrigaui, noctium quas tum gemendo & suspirando, tum scelera mea plan-

gendo

gendo transegi. Idem mihi modò animus, voluntas eadem, licet non factum idem: sed id est supra vires. Hoc attende, ô Domine, placeat tibi desiderium meum, illo contentus esto modo, cum aliud nequeam præstare. Facillima est eiusmodi praxis, nec meriti minoris, magnòque fanè solatio futura iis, qui præ spiritus ariditate, cælestiumq; inopiã voluptatum eum tenere non possunt orandi cursum, quem optarent, quemq; sibi initio propoluerant.

CAPUT XIX.

Responsio ad eos qui queruntur defectum attentionis.

NON paucis id vsu venire certum est quod de se ipse querebatur David, & psal. 38. cor meũ dereliquit me. Neque tamẽ 13. omnibus id contingit quod de se prædicat. Inuenit 2. Reg. 7. v. 27. seruus tuus cor suũ vt oraret te oratione hac: Adeò procliuẽ est animo distrahi diffipariq; in varia, adeoq; difficile vel ad breue tempus colligere sese, cogitationesq; suas omnes ad interiora atque ad Deum solum intuendũ reuocare. Nihilominus Sanctorum Patrum auctoritate, ipsaq; ratione constat, oranti imprimis enitendum, vt sibi sit ipse præsens. Valde enim indecens est, inquit

Lib. de inquit S. Bonaventura, vt quis cum Deo lo-
 perfect. quatur ore, & aliud meditetur corde. In qua
 vitæ c. 5. sententiam ita D. Cyprianus. Segnitia est a-
 Lib. de lienari & capi ineptis & prophanis cogita-
 oration. tionibus dum Dominum deprecaris. Orabo
 1. Cor. spiritu, orabo & mente, psallam spiritu psal-
 14. lam & mente; si enim orem lingua, mens
 mea sine fructu est, inquit D. Paulus. Ar-
 Isa. 29. guuntur item à Propheta Iudæi inertia, quin
 etiam impietatis, quòd labijs Deum hono-
 rarent, ab eo autem longè esset cor eorum,
 Enarra- dicant labia quod habet cor inquit D. Au-
 tionē ad gust. & D. Bernardus præscribit plus orandū
 psal. 39. medullis cordis quàm labijs oris. Immo verò
 Serm. tantam exigit ab orante attentionem ad id
 13. in quod agit, vt ne pia quælibet inter orandum
 Cântica. velit cogitari, si ad rem præsentem nihil fa-
 ciunt, alienaque sunt ab oratione, quæ in
 manibus est. Salubria, inquit, sunt, sed mini-
 mē illa salubriter inter psallendum reuolui-
 tis: spiritus enim sanctus illa hora gratū non
 recipit, quidquid aliud quàm debes, negle-
 Lib. 22. cto eo quod debes obtuleris.] His accedat
 moral. D. Gregorius. Vera, inquit, postulatio non in
 9. 18. oris est viribus, sed in cogitationibus cordis.
 Valentiores namque voces apud secretissi-
 mas aures Dei non faciunt verba nostra, sed
 desideria, si enim æternam vitam ore peti-
 mus, nec tamen corde desideramus, clamante-
 res tacemus: si verò desideramus ex corde
 etiam

etiam cum ore conticescimus tacentes clamamus.] Hæc Gregorius.

Verùm non est quòd quis immoderatè angatur ob hæc & huiusmodi sanctorum Patrum testimonia, quæ facilem ex modò dicendis habere possunt interpretationem. Bipartitò diuiditur à Theologis attentio (vt ceteras eius omittam diuisiones) altera est actualis, altera virtualis: ac priorem non semper necessariò requiri, sufficereq; posteriorem communi Doctorum sensu receptum videtur: cuius ratio ea esse possit; quòd priori quidem attentioni necessaria sit actualis animi applicatio cognitioque & cogitatio, de oratione vel de Deo (vt fusiùs ab ijs explicatur) fit autem non rarò vt hominis dum voce orat animus, ita præter voluntatem & naturali quadam incogitantia distrahatur, vt nullam huiusmodi habeat cogitationem: Atqui si voluntatis absit consensus, nullam in partem peccabit: ad vitandum igitur peccatum non erit opus hæc attentio.

Altera quidem attentio omnino à vera oratione abesse nequit, sed ea perfacilis est, qui enim ad orandum se confert omninoq; statuit, ac proponit animum attendere, in eoq; proposito constanter perseuerat (vtiq; virtute) neq; illud retractat, neque reuocat (aut actualiter, aut interpretatiuè, vt loquuntur,

Bb

spon-

spontaneâque negligentiâ) is sanè & verè dicitur & est attentus virtualiter. Et quamvis (vt verè Caietanus) velle attendere non re ipsa & facto attendere, est tamen attendere quoad propositum ac votum. Atque huiusmodi voluntas, quantum est ex parte hominis, est moralis causa efficiens attentionis. Quocirca quoad huiusmodi voluntatem existit, censetur etiam durare attentio, non quæcumque sed virtualis, & moralis. Quam autè minimo conatu possit ab homine (Dei quidem præsidio quod numquam abest) huiusmodi attentio adhiberi, in confesso est.

Et sanè ad suauem Dei spectabat providentiam, cuius oculi sole lucidiores videntur imperfectum nostrum, non imponere hominibus iugum ita graue, & onerosum, & eoque exigere quod vix præstari possit. Attendere autem actualiter (verba sunt P. Sorres) & sine distractione est moraliter impossibile, vt plurimum loquendo de hominibus, iuxta illud psalmi: Cor meum dereliquit me, hæc vir doctissimus. Qui item eadem ratione confirmat orationis fructus (de quibus nobis infra disserendum) etiam ab actuque actuali attentione colligi, ad idque factum esse virtuale. Quis enim credat Deum, cuius natura bonitas, qui que diues est misericordiâ, paratiorque ipse ad dandum, quam mortales ipsi ad recipiendum: conditionem

Dereliquit me.
rom. 2.
Lib. 3.
de orat.
c. 5.
Psal. 38.

tionem ab orante quam prestare non possit, exegisse? quaque non prestita, esset inanis atque infructuosa eius oratio?

Quis enim quæso mortalium phantasiam suam valeat intra præscriptos rationi fines continere? aut, ut loquitur Bernardus, irruentia corporearum imaginum phantasmata quæ suppeditant vel sensus egens vel cura pungens, vel culpa mordens amouere? sed quis non experitur illud Augustini. *Plerumque, inquit, orationes impediuntur varijs cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum: & vult se tenere ut stet; sed quodammodo fugit à se nec inuenit cancellos quibus se includat, aut obices quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus suos. Vix occurrit vlla stabilis oratio inter multas orationes.]* Hæc Augustinus. Quæ ita quotidiana sunt, ut vsu ipso, quam vilo sermone notiora sint.

His autem subiicit idem Augustinus, quæ se prodat Dei bonitas in eiusmodi erraticis orationibus tolerandis. Et tolerat inquit corda precantium Deus, & diuersas res cogitantium, omitto dicere & noxias aliquando, & peruersas & inimicas Deo. Porro quæ magna est Dei misericordia dicamusei. Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuauit. Et quomodo eam leuauit? quomodo porui,

Bb 2 quo-

Serm.
23. in
Cant.

Citatur
à Blosio
c. 3. mo-
nialis
spiritu-
alis.

quomodo tu vires dedisti.] ita Augustinus.

Quibus quidem non parum erigitur eorum animus, qui variis inter orandum tamquam in alto iactati cogitationum procellis nusquam consistere, nusquam quiescere possunt. Sed videndum ne nobis excidat Blossius, qui ex paulo antè commemoratis verbis Augustini hæc colligit non minori quam superiora solatio futura orantibus. Igitur inquit, qui bonæ voluntatis est non perturbetur inordinatè propter instabilitatem cogitationum suarum, sed placidè faciat quod in se est dum orat, & humiliter patienter quæ perseveret, ita enim Deo plurimum acceptus erit.] Quod ipsum probat fortissimo argumento, diuinâ scilicet auctoritate. Hinc, inquit, B. Gertrudem edocuit Dominus, quod cum quispiam orando, meditando, contemplando sanctè dirigit mentem & cogitationes suas in Deum, tunc antethronum gloriæ præsentat Deo quasi speculum miri splendoris, in quo Dominus bonorum omnium immissor imaginem suam iucundissimè speculatur. Et quando homo propter impedimenta, cordisque instabilitatem maiori difficultate hoc facit, quanto grauius & patientius laborat, tanto speculum illud in conspectu venerandæ Trinitatis, omniumque Sanctorum venustius atque ornatus apparet, sed in adhibenda attentio-

ne cauenda est nimia vehementia, ne caput lædatur & spiritus impediatur.

Maneat igitur, actu & re ipsa non necessario oranti attendendum, satis est vt virtute modo superius explicato. Neque aliud volunt allata Sanctorum Patrum testimonia. Verùm quia actualis attentio eximios parit fructus, oranti suauiter ad eam enitendum est. Suggestam in eum finem quibus ad eam rem præsidii utebatur P. Petrus Faber, qui quamquã sæpe Principum tereret limina, quibus & erat longè gratissimus, secum nihilominus religiosæ solitudinis secretum assiduè circumferebat. Inter psalmum & psalmum (inquit Orlandinus) breuem quãdam orationem raptim iaculabatur ad Deum, cuius generis erat illa solemnitas ac frequens: Pater cælestis da mihi spiritum bonum, qua in prece totis scilicet missa præcordiis, sensit ad reuocandam & colligendam mentem multum latere præsidij.

Lib. 3.
historiæ
Societ.
IESV.

Interdum decies augustissima IESV & eius matris nomina piè ad horas singulas orandi canonicas appellabat, vt ad memoriã decem illa sibi redigeret & in psalmis spectanda proponeret. Primum vnã Dei gloriam, deinde sanctorum honorẽ, tum incrementa iustorũ, postea liberationem eorum qui noxis essent implicati mortiferis, adhæc rei Catholicæ progressionẽ, mutuam etiam inter Principes

Bb 3 Chri-

Christianos pacem, atque concordia. Denique leuationem eorum, quos ea ipsa hora, vel dolor aliquis perfoderet corporis, vel animæ sollicitudo perederet, vel aduentantis mortis horror inuaderet, vel purgans apud inferos ignis exureret. Hæc ille decem ad horæ cuiusque canonicæ carmen, piè sanctèque recolebat. His mentem lubricam ne quæ efflueret cohibebat.

Nec verò illa ad comparandam attentionem minùs efficax ratio erat, quod in inchoandis iisdem canonicis horis, in acerbissimos Christi cruciatus, indignamque necem, suæ mentis figebat aspectum, & ut canendo, psallendoque progrediebatur, ita in reputandis acrioribus eius pœnis, atque doloribus procederet. Et quod suos olim Monachos Basilius monuit, ideo mentis gigni in oratione desidiam, quia non satis præsens Dei numen agnoscitur, id Faber etiam suo usu didicit, & scriptis monuit, ad coërcendam in orationibus mentem valere plurimum si quis Deum, Dei que Angelum præsentem agnoscat, qui quemadmodum in precatione se gerant, animaduerrant. Itemque stantem ex aduerso malum angelum, qui quo plures habeat ad accusandum anfas, inuido curiosoque oculo cuncta eius obseruet & rimetur errata. Hæc & alia plura, quæ commodiùs alibi commemorabuntur,

Regulis
bre. q.
21.

tur, factitabat P. Faber, quæ quidem de longioribus orationibus dicta, proportione ad hæc nostras breuiiores accommodanda sunt. Sequitur vt absolutis iis, quæ ad earum frequentiam, aliisque eodem spectantibus pertinent, quo eas loco, quoque situ exerceri oporteat differamus.

CAPUT XX.

Quis locus breuioribus hisce orationibus sit adhibendus.

MONET S. Paulus nullum omnino locum ab oratione vacare debere. *Volo vos orare in omni loco.* In quæ verba ita Anselmus. In omni loco orandum est, quia Deus vbique est. His consentaneè scribit Chrysostomus. Neque (inquit) mihi dicat quispiam quod nequit homo secularis affixus foro, continuè per diem orare, & ad Ecclesiam concurrere. Potest enim & quàm facillimè. Nam licet in Ecclesiam non sit facile concurrere, illic ante fores constitutus, & affixus tribunali potest orare. Et hoc multi fecere frequenter, & intus clamante magistratu comminante, contendente, furente, pro foribus stantes signo muniti, & pauca verba per cogitationem orantes, (en tibi orationes nostras iaculatorias) ingressi muta-

1. Tim. 2

Homil. 79. ad populū.

nerunt eum atque mitigarunt & mitem ex
fero reddidère, nec à loco, nec à tempore,
nec à clamore ad hanc orationem impediti
sunt. Ne nos excusemus dicentes quòd non
esset facile quempiam orare secularibus ne-
gotiis implicitum, prope se domum non in-
uenientem oratoriam: nam vbicumque sis,
potes altare tuum constituere. Nihil enim
locus prohibet, nec locū Deus veretur, sed
vnum exquirat, feruidam mentem, & conti-
nentem animam: non est quærendus locus
sed loci principium. Hieremias erat in coe-
no & Deum exorauit. Iob erat in stercore &
Deum reddidit propitium. Ionas in ventre
cæti & facilem habuit; licet in balneo sis, tra-
Templum es, ne locum quæras. numquid
enim est Deus homo vt locum petas? Deus
semper prope est, si mentem mundam habeas
ab immundis motibus, licet in foro sis, siue
in via, siue in mari, siue in diuersorio, siue in
officina positus, siue sis vbicumque. Deo po-
teris inuocato petitionem obtinere.] Hac
& alia plura Chrysostomus.

Hier. 38.
Iob 2.
Iona 2.

Exhor-
tatione
ad ba-
ptismū.

In eandem sententiam Basilius magnus,
Non locus (inquit) ad orandum, sed propo-
siti initium requiritur. Hieremias enim in
luto erat & Deum attraxit. Tres pueri in ca-
mino Deum promeruère. Latro non cruce
prohibitus quin paradysum assecutus fuerit.
Iob in stercore Deum ad misericordiam
pro-

prouocauit. Igitur vbicumque fueris ora,
 vel si ante Iudicem ora: Mare ante aderat,
 retro Ægyptij insectabantur, medius Mo-
 ses in loci angustia orabat. Tu quoque
 cum ante iudicem & Præsidem minantem
 aut vim afferentem fueris constitutus, ora
 Deum: te namque orante laborum ac tribu-
 lationis fluctus contrahentur, Dominus
 prope est. Non hominem esse putes, conti-
 nuò adest, vbique adest & omnia complet.]
 S. Ephrem Basilio æqualis idem cum illo sen-
 tit. Siue, inquit, opereris, siue dormias, siue
 iter facias, siue comedas, siue bibas, siue de-
 cumbas, caue orationem tuam intermise-
 ris: Nescis enim quando venier, qui animam
 tuam est repetiturus: ne expectes diem do-
 minicum aut festum, lociue differentiam,
 sed vt inquit, Propheta David. *In omni loco*
dominationis eius. Siue igitur in Ecclesia fue-
 ris, siue domi tuæ, siue in agro, & si oues pa-
 scas, & si ædificia construas, & in symposio
 verferis, ab oratione caue desistas.] Hæc qui-
 dem Patres Græci.

Serm. de
 orando
 Deum.

Psal. 102

Neque verò ab his dissentiunt Latini. Lib. 6. de
 Ambrosius enim, grauis imprimis auctor, Sacram.
 ita scribit. Cùm dicat Paulus; Volo viros C. 3.
 in omni loco orare, leuantes puras manus
 sine ira, & disceptatione: & Dominus di- Matth. 6
 cat in Euangelio; Tu autem cùm oras,
 intra in cubiculum tuum, & clauso ostio

Bb 5 ora

ora patrem tuum. An aliud voluit Paulus, aliud Dominus? non utique. quâ ratione? quia non contrarius interpret est. Quid ergo? potes vbique orare & in cubiculo tuo semper orare. Habes vbique cubiculum tuum. Etsi inter gentes inter Iudæos positus sis, habes utiq; secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum, secretumque conseruas.

De Cain
& Abel
l. i. c. 9.

Et alio quodam loco eadem Christi verba explanans hæc habet. Intellige cubiculum non inclusum parietibus quo tua membra claudantur, sed cubiculum quod in te est in quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versantur sensus tui. Hoc orationis tuæ cubiculum vbique tecum est, & vbique secretum est: cuius arbiter nullus est nisi solus Deus.

Libro de virginibus, de orationis loco ita disputat? sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriget, ut in ipso quietis exordio rerum secularium curâ liberum diuina meditantem somnus inueniat. Denique etiam ille qui philosophiæ ipsius nomen inuenit quotidie priusquam quiesceret tibicinem iubebat molliora canere, ut anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille sicut

is

is qui laterem lauat, secularia secularibus frustra cupiebat abolere. Magis enim se obliniebat luto, qui remedium à voluptate quærebat. Nos autem terrenorum vitiorum colluione deterfa, &c. Quæ quidem Ambrosij præceptio etiam orationis tempus spectat de quo superius.

D. Bernardus idem præcipit his verbis: In lib. meditationum. Vbicumque (inquit) fueris intra teipsum ora, si longè fueris ab oratorio ne quæras locum, quoniam ipse locus es.] Hæc Bernardus. Quibus sanè vt & Ambrosij monitis egregiè obsecutam D. Catarinam Senensem prodit S. Raymundus qui fuit illi à confessionibus eiusque admirandam conscripsit vitam. Cùm enim, inquit omni secreto loco ei parentes eius interdixissent, & seruitis domus eam perpetuò voluissent occupatam, ne posset se sponso suo Christo coniungere, & precibus vacare: atque ob id amota ancilla culinaria, eius sordida officia illi demandassent, ipsa nihil his permota, docente eam spiritu Dei, intra seipsam fabricauit sibi conclaue, siue secretam cellulam, vnde numquam vellet cuiuscumque rei causâ egredi. Ita factum, vt quæ hæcenus vsa externa cella, nonnumquam fuisset egressa foras, iam deinceps maneret secum perpetuò in cellula animi sui, quam illi eripere nemo posset, planèque cælesti victoriâ trium-

triumphauit de Diabolo in interiori homine, vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris, sibi construens spiritale domicilium.]

Neque verò sibi tantùm prodesse volebat caeleste illud secretum de fabricanda in seipso cellula seu oratorio; verùm etiam cum aliis communicatum volebat. Ita enim pergit S. Raymundus de seipso quasi de alio scribens. Solebat postea crebrò admonere Raymundum patrem cùm negotijs externis prope obrutum videret, vt sibi tale non manufactum in suo pectore fabricaret domicilium, nec inde vnquam euagaretur, ibi enim vt diximus per fidem Christus habitat in nobis, ibi regnum Dei intra nos est.

Apoc. 3. Ibi numquam non præsto est ille qui dicit; Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. Hoc ergo suauissimo hospite contenta & freta sacra virgo, vicit diabolum & omnes machinas eius. Hæc S. Raymundus.

Quibus non solùm probatur propositum nostrum, nullum omnino locum orationi esse inopportunum, verùm etiam quemadmodum id sit præstandum luculentè docetur.

Quod facilè mihi quidem persuadeo à superioris memoriæ Patribus illis, quorum
omnis

omnis vita erat oratio vsurpatum obseruatumque. Quis enim credat Bartholomæum quem centies interdium, centies noctu certas preces genibus flexis iterasse accepimus, ad vices singulas templum, aut oratorium aliquod adisse? Erat sibi ipse templum; Et sanè mentem quæ Deo adhærescit, Dei viui templum appellant sacræ litteræ. Nec fit verisimile Apollonium Abbatem & Martham, quos idem Bartholomæi imitatione factitasse produnt historiæ, alio vsu oratorio quàm seipsis, aliamque ingressos cellam quàm mentem quemque suam, atque eam quidem ab humanarum rerum cogitatione, curâque expeditam.

1. Cor. 6.

In vitis Patrum.

B. porro Gregorium tradit non obscurus auctor, etiam dum naturæ necessitatibus famularetur, cibiq; reliquias purgaret, psalmos recitare solitum. Ex quo cum diabolus quæsiisset quid demum rei eo loco & tempore, turpique naturæ famulatu factitaret, ventrem, inquit, purgo, Deumque meum laudo. Hæc Gregorius. cuius factum & responsum laudans idem auctor. Naturæ (inquit) necessaria opera perfectis non sunt turpia: nec locus vllus turpis est orationi, dum orans mundus fuerit atque purus: Nec infernus ipse, orationi non congrueret, si ibi extaret qui orandi haberet affectum. Hæc Gabriel.

Gabriel
Biel in
canonē.
Latere
62. ex
Alexan.
Alens.

Quo.

Quorum omnium hæc potest afferri ratio, quòd oratio sit de genere spiritualium rerum, quare non videatur eius honestas pendere à conditione loci corporei. Tum quia vbique optimum est Deum. Opt. Max. colere, adorare, venerari, ei que gratias agere. Id ipsum continetur canone sacrae liturgiæ. Quæ quidem, vt & quæ superiùs commemorata sunt ex Patribus, P. Soarez censet maximè accipienda de breuioribus hisce mentis aspirationibus. Hæ namque (affero eius verba) cùm non requirant permanentem attentionem, non solùm ex natura rationalium actionum, sed etiam ex parte nostra accommodatè fieri possunt in omni loco: at verò diuturna & quieta oratio, licet ex parte sua non determinet peculiarem loci conditionem, ex parte nostra requirit saltem locum solitarium & quietum. Hæc Soares. Quibus addo, etiam sacrum: si is quidem potest haberi quandoquidem eo loci fusæ preces, exaudiuntur faciliùs, atque ob alias causas, quas fusiùs persequi non est huius instituti.

Lib. 2.
de orat.
65.

CAPVT XXI.

Quis situs, habitusue corporis sit in aspirationibus ad Deum seruandus.

DIVVS Chrysoſtomus nullum omnino Homil. 79. ad popul. statum, aut certum corporis ſitum breuioribus hiſce orationibus præfigit. Non tam, inquit, voce opus eſt quàm cogitatione, neque tam manuum extensione, quàm animi intentione, neq; figura, ſed intellectu, licet genua non flectas neque percutias pectus, nec in cælum manus extendas, ſi mentem tantùm feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummaueris. Licet enim & forum petentem & ambulantiem, per ſe prolixas tenere orationes. Licet & in officina ſedentem & ſuentem pelles, animam Domino dedicare: licet & ſeruo & ementi, & aſcendenti & aſcendenti, & aſtanti quoque orationem facere prolixam & ſolertem. Nam & Paulus in carcere iacens ſupinus, neque ſtans erectus neque flectens genua, non enim ſinebat lignum quo pedibus vincus tenebatur: quoniam cum ſtudio iacens orauit, carcerem concuſſit & labefactauit fundamenta, carceriſque cuſtodem ligauit, & poſt hæc ad ſacram initiationem deduxit. Et Ezechias haud ſtans re-
ctus

ctus neque genua flectens, sed supinus, propter ægritudinem lectulo recubans, cum ad parietem seipsum cōuertisset, quoniã Deum feruenter inuocauit, & anima continente prolatam reuocauit sententiam, & multam adeptus est beneuolentiam, & ad pristinã rediit valetudinem. Et latro in cruce distentus, paucis verbis cœleste regnum affecutus est. Et Hieremias in cœno & in lacu, & in lacu ferisq̃ Daniel, & Ionas in ipso cœti ventre Deum deprecati, circumstantia queque mala dissoluerunt, & gratiam inuenere diuinam. Hæc Chrysostomus.

Quæ quidem non ita accipienda sunt, quasi non admodum consulendum sit orantibus, vt eo sint inter orandum corporis habitu, gestuq̃, qui tum reuerentiam, tum animi demissionem testari solent: sed quod ij nõ sint planè necessarij, neque ab illis omnino pendeat oratio: Etenim & Christus ipse flexis orauit genibus, imò prostratus humi. Et protomartyr Stephanus oraturus pro sese lapidantibus accidit in genua. Quod idem præstitum à D. Petro Tabitham vitæ reddituro apostolica tradit historia. Atque item à Paulo dum Ephesios suos valere iuberet. Hunc autem vsum tum Christum tum Apostolos antecessisse liquet ex Daniele & ex sacra Regum historia: atque perpetua multorum seculorum traditione in Ecclesia retentum

Luc. 22.

Matth.

26.

Mar. 14.

Actor. 7.

Astor. 9.

Astor.

20.

2.6.

3. Reg. 8.

tum constat ex variis, quæ ab huius memoriarum scriptoribus sunt annotata, quibus ne sim longior, supersedeo.

Quod autem de genuflexione est traditum, hoc idem de ceteris vel signis vel gestibus corporis, animi demissionem Dei; venerationem testatam facientibus omnino videtur accipiendum. Huiusmodi sunt manuum elevatio, aut extensio, capitis apertio, atque alia huius generis, de quibus gravissimus auctor Tertullianus ita scribit. Illuc suspicientes Christiani manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore oramus, &c. Et Hieronymus corpus pariter & animus tendatur ad Dominum.

Et sane diffiteri nemo potest, quin animo commouendo, afficiendoque multum valeant exteriora hæc signa, mentemque Deo subiici magis, maiori que eum cultu prosequi corpore pariter demisso, & exteriorius ad venerationem diuinumque cultum composito. Verè enim Augustinus: Orantes (inquit) de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibilibus faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis,

Cani-
sius in
Cate-
chismo

In Apo-
log. c. 30

Epist. 4.

Lib. de
cura pro
mortuis
c. 5.

vt humanus ei pandatur animus, sed his magis seipsum excitat homo, ad orandum commendumque humilius atque feruentius. Etnescio quomodo cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, illi interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur, et per hoc cordis affectus, qui vt fierent in præcessit, quia facta sunt crescit. Hæc Augustinus.

Iam verò cum sint multiplices corporis membrorum eaq; aptæ omnes orationi compositiones, vt statio, genuflexio, prostratio & huiusmodi, operosum foret statuere quæ de illis præferenda videatur omnibus. Et quia potissimum breuiiores preces spectamus, existimo quemlibet corporis habitum, situmue ijs aptari posse, vt superius dictum ex Chrysostomo: quamquam negari non potest eum ceteris vtilitate præstare, qui vel est maioris demissionis argumentum, vel corpori laboriosior existit, modò ne luce pâllam fiat, ne sit cuiquam offensionis. Atque hæc de tempore, frequentia, loco, situ harum orationum dicta sint: sequitur vt de alia quapiam earundem conditione paucis disseramus.

CAPUT XXII.

Sintne huiusmodi orationes, voce, an mente tantum perficiendæ.

QUANDOQV IDEM qualibet occasione, quouis loco, & in media turba & quouis tempore aspirandum ad Deum; id multò quidem còmodius videtur fieri sola cogitatione quàm vsu vocis ne aliis innotescamus: atque sancti Patres præferunt (spectata quidè rei natura, atque si cætera sint paria) orationem quæ solâ mente completur, illi quæ vocis formationem strepitumque desiderat, pauculos autem, exempliq; tantû causa adferam. Qua de re Ambrosius quidè ita scribit: Qui in silentio orat fidem deficit & confitetur, quòd Deus scrutator cordis & renis fit, & orationem tuam ante ille audiat, quàm tuo ore fundatur.

Lib. 6.
de Sa-
cram.
c. 4.

Chrysostomus superiore capite allatus non tam (inquebat) voce opus est quàm attentione.

Tertullianus utroque antiquior, mentalè orationem commendat præ vocali, eamque damnat quæ fit palam clariore voce. Sonos etiam vocis (inquit) subiectos esse oportet, aut quantis arteriis opus est si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspèctor. Dæmonium o-

Lib. de
oratione
c. 13.

C c 2 raculi

raculi Pythij: Et mutum, inquit, intelligo
& non loquentem exaudio. Dei aures te-
num exspectant? quomodo ergo oratio Iona
de ventre cæti per tantæ bestię viscera
ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem
ad cælum potuit euadere? Quid amplius re-
ferent isti qui clarius adorant, nisi quod pro-
ximis obstrepunt? Imò prodendo petitiones
suas quid minus faciunt quàm si in publico
orent? Hæc Tertullianus de oratione quæ in
oculis hominum, quæ quidem ad priuatam
etiam possunt accommodari.

Cur autem præstet mentalis oratio voca-
li, ea potest afferri ratio. Quia cessatio ab ex-
teriore locutione liberiores relinquit ani-
mum tum ad attentius cogitandum, tum ad
vehementiores feruentioresque voluntatis
motiones. Eo fit vt rei naturâ per se spectatâ
sit illa hac longè excellentior & fructuosior.
Adde esse etiam plurimum magis arduam
in eâque exercenda plus laboris subire cor-
pus, vt admonet Bonauentura, & ipse confir-
mat vsus. Etenim mentis exercitio, corpus
auocatur magis à sensibus, viribusque suis
ac quodammodo ipsum supra se fertur, qua-
re dum exteriùs ab omni actione feriatur,
ab interiori interim mentis attentione debi-
litatum propè languet ac concidit.

Cæterum nullâ ratione negandû, quin vo-
calis oratio suas etiã, easque non exiguas ha-
beat

Proces-
su 7. re-
lig.

beat utilitates: immò sit quandoq; etiam ne-
 cessaria, quando nobis maiorù præceptione
 vel publicè vel priuatim certæ preces
 indicuntur. Est quidè utilis, quandoquidem
 (vt asserit August.) interdum voce nos ipsos
 ad deuotionè acriùs excitamus. Ad hæc quia
 mirificè famulatur piis affectibus ià excita-
 tis, ac deuotioni, quæ solet nonnumquã e-
 rumpere atq; emicare, iuxta illud Davidis:
*Latatum est cor meū, & exultauit lingua mea. Itē,
 Cor meū & caro mea exultauerunt in Deum viuū.*
 Denique utilis est vt non mordè corde, ve-
 rùm etiam corpore Deo debiti famulatus
 præstemus obsequium, iuxta illud cuiusdam
 Prophetæ: *Omnem aufer iniquitatem &
 reddemus vitulos labiorum nostrorum.]*

Epist. 121. c. 9.

Psal. 15.
Psal. 83.

Osee
cap. vlt.

De dif-
ciplina
mona-
stica
conuer-
sationis
c. 18.

Ioan. 4.

Quas quidem orationis quæ voce perfici-
 tur utilitates laudatâ priùs præ ea mentali,
 his verbis complexus est S. Laurentius Lu-
 stinianus: Vt ad orationis, inquit, perfectio-
 nem & spiritus perspicuitatē pertingere pos-
 sint, quicūque Deo vacare cupiunt, studeant
 cum orationi insistant, mentali exercitatio-
 ni incumbere, & à vocali oratione cessare.
 Nam iuxta incarnatæ veritatis sententiam
 adoratores Dei, Deum in spiritu & veri-
 tate adorant. Non tamen semper voca-
 lis oratio ab adoratoribus veris repudianda
 est orationis tempore aut cōdemnanda, fri-
 gescente namque spiritu, & ab interioribus



406 DE ORAT. IACVL. LIB. III.
ad exteriora redeunte, opportunum admi-
niculum ad deuotionem excitandam est vo-
calis oratio. Accenso verò deuotionis igne,
ori silentium imponendum est, & à vocali
oratione cessandum, ne pro exiguo, maxi-
mum præpediatur bonum: seducitur enim
quisque, cum superuenientis gratiæ perficitur
dulcedine, si oranti linguæ non interdicit
loquelam, excepto dumtaxat illo tem-
pore, quo diuinorum officiorum persoluit
debitum ad quod tenetur. Tunc enim (si
valet) oret spiritu, oret & mente: omnibus
namque modis nitendum est, atque subsidia
inuenienda sunt siue per vocalem orationem,
seu per prostrationes, aut manuum extensio-
nes, vel quomodolibet vt mens absque im-
pedimento eleuetur in Deum quem oratio-
ni insistit. Nam orationis finis hic est, vt ani-
ma Deo vniatur per pium caritatis affectum
præuiò lumine diuinæ agnitionis. Hæc B.
Iustinianus.

Ex cuius extremis verbis illud colligere
licet, vocalis orationis adminiculo vtendum
illi, cuius ope tum velocius orationis finem
qui est adhærere summo immensoque bono
tum faciliùs consequitur. Atque hæc de
aspirationum conditionibus sufficiant. De-
inceps de earum tum effectis tum admini-
culis atque impedimentis disputandum.

LIBER